niam, n.31. de jure patron. Meres de majorit. 1.p. q.1. n. 74. Gutier. l.3. pract. q.15. n.34. Sed matrimonium de præsenti inter impuberes est permissum multis canonibus, & interpretantur quasi essent verba de futuro, *cap. finali, de despons. impub. c. unic. §. Idem quoque eod. t. in 6.* ergo non est dicendum *d. c.* 2. correxisse hæc jura, cum optime possit interpretari, ne corrigat. Item quia *Pan. eod. c.2. n.1. & Præpos. ibi n.2.* explicant illum textum, ut tantum prohibeat, ne impuberes, vel puberes cum impubere contrahant matrimonium, simulque copulæ carnali dent operam, ne postmodum de matrimonii valore dubitetur. Quod si urgeas textum permittere hanc conjunctionem propter pacis bonum, non posse autem permitti copula: respondeo permitti quidem posse, quando judicio Episcopi probabile esset malitiam prævenire ætatem, urgentissimaque causa concurrente, quamvis de potentia ad copulam dubium esset aliquale, & si experientia facta compereretur nondum adesse potentiam, esset illud matrimonium sponsalia juris interpretatione, ut dixi.

Ad 1. arg. propositum n. 5. constat ex dictis. Ad 2. dico nullum sacramentum irritari, quia illud matrimonium tantum habet vim sponsalium juris interpretatione, & si esset dubium de malitia præveniente ætatem, contraheretur ea lege tacita, & quæ jure inest, ut valeat eo modo, quo valere potest, *d. cap. unico, §. Idem quoque.*

DISPUTATIO XVIII.

Per quæ verba contrahantur sponsalia, & per quæ matrimonium?

SUMMARIUM.

Quando verba sunt dubia, in foro conscientiæ statur intentioni, num. 1.

Quid si verba non explicent consensum, at intentio contrahentium sit vere per ea contrahere, 2.

An ubi est usus, ut apud Indos explicandi consensum de præsenti per verba de futuro, satis sint ea verba futuri ad matrimonium, & apud ipsos ratione usus sufficiant hæc verba ad sponsalia, Sepeliam te, cum morieris: vel ad matrimonium sufficiat apud eosdem Indos, uno dicente, Ducam te, alius respondeat, Forte & ego ducam te, & statim sequatur traductio in domum, & copula, 3.

In foro externo non statur menti contrahentium, sed communi verborum intelligentiæ, & quæ aliæ conjecturæ attendendæ sint: & in dubio utri contrahentium faveatur, 4.

In dubio an in favorem matrimonii judicandum sit, & quid quando est impedimentum impotentiæ, 5.

An hoc procedat in foro conscientiæ, 6.

Opinio singularis unius Doctoris an præferatur communi, favore matrimonii, & causæ piæ, 7.

Quando intentio non constat, & verba sunt dubia qualiter judicandum sit, 8.

Quotupliciter possunt formari verba, de quibus dubium est, an constituant sponsalia, vel matrimonium, 9.

Quando verba quoad sonum, & significationem sunt de præsenti, ut, Accipio, habeo, teneo, ex nunc providebo tibi sicut uxori, reputo te in uxorem, vel si alterum respondet, placet, vel Volo, num. 10. *& ibi quid de his verbis, Volo te in uxorem.*

Quid, quando sunt de præsenti, quoad sonum, & significationem, at propter adjunctum sunt de futuro, ut, Accipio te in crastinum, 11.

Quid quando verba sunt omnino de futuro, ut, Accipiam, ducam te, non explicato verbo, Promitto, 12.

Quid, Promitto, quod te desponsabo, 13.

Quando sonus est de futuro, & sensus de præsenti, ut, Ex nunc te habebo in uxorem, vel ducam, 14.

An tunc sit contractus matrimonii non vero sacramentum, 15.

Quid, quando non additur particula, Ex nunc, ut, Habebo te in uxorem, 1. *opinio, esse matrimonium,* 16.

2. *Opinio, esse dubia ea verba,* 17.

3. *Sententia verior, constituere sponsalia,* 18.

Non te derelinquam pro alia meliore, 19.

Post hac vel ex nunc eris meus, vel esto meus, 20.

Solvuntur argumenta, & enodatur cap. Ex parte de sponsal. & cap. Si quis divinis, 30. quæst. 5. & explicatur, quando leges in decreto insertæ, vim canonum habeant, 21.

Volo te habere in uxorem, te ducere, vel placet, 1. *sent. non esse sponsalia, nec matrimonium,* 22.

2. *Esse matrimonium,* 23.

3. *Distinguit,* 24.

4. *Sent. omnia ea verba constituere sponsalia: quæ probabilis est,* 25.

Quid si ea verba essent dicta ad interrogationem alterius quærentis, Vis mecum contrahere? vel si esset usus per ea verba contrahere matrimonium, num. 26. *& quid, Volo te ducere, & in te consentire.*

Quid, si præcessisset tractatus de contrahendo matrimonio, 27.

Quid, Volo ex nunc te habere pro uxore, 28.

Quid de his verbis, Volo te esse uxorem, 29.

Cum disputatum sit de 1. & 2. conditione ad sponsalia requisitis: superest, ut de 3. nempe de verbis ad ea contrahenda requisitis, disputemus: & quia commode discerni nequeunt verba plurima, quibus sponsalia ab eis a quibus matr. contrahitur, celebrantur, sed sub judice est, num sponsalia, num vero matr. constituant: ideo simul disputabitur, quando sponsalia, quando vero matrimonium, iis verbis contrahatur, præmissis aliquot fundamentis, 1. Supponendum est, quando verba sunt dubia, in foro conscientiæ standum esse intentioni contrahentium, si de illa constet. Prob. ex *cap. Intelligentia, de verb. sign.* Item, quia verba habent vim obligandi, quatenus explicant consensum internum, & contractus ex intentione legum accipiunt, *reg. contractus, de reg. jur. in 6.* Item, quia hæc obligatio est lex quædam particularis, quam homo sua sponte sibi imponit, obligatio autem legis a legislatoris mente pendet: nec in hoc fundamento aliquis discrepat. 1

2 Hinc inferunt aliqui DD. non esse, quoad forum conscientiæ, & Deum, curandum de verbis externe prolatis, quando de contrahentium intentione constat. Sic *Hostiensis c. Ex parte, initio, & ibi Henric. n.1. de spons. Ang. matrimonium 2. n.13. Silvest. matrimonium 2. a.10. q.6. Navar. sum. c. 22. Hispan. n. 80. Latine n.79.* & addunt *Ang. Silv. & Navar. Pispan. eo n.80.* adeo hoc verum esse, ut si intendant contrahere de præsenti, quamvis verba sonent de futuro, esset verum matr. Sed si hoc corollarium ut jacet intelligatur, est prorsus a veritate alienum, quia cum sponsalia, & matrim. sint contractus humanus, non sola intentio sufficit, sed necessarium est verbis, vel signis aptis, ut alter contrahentium alterius animum intelligat, explicari: intentio enim mente retenta nihil operatur in humanis contractibus, *l. Cum in plures 62. §. Locator horrei, ff. locati,* ubi *Bart. in prin.* ex eo textu colligit propositum mente retentum, nec parti expressum, nihil relevare: unde mens illorum Doctorum hæc est, si desit intentio, & consensus internus, qualiacumque sint verba, nulla sponsalium, aut matrimonii oritur obligatio: & econtra, si adsit intentio se obligandi vinculo matrimonii, aut sponsalium, & ea manifestetur aliquo signo externo alteri, itaut ambo contrahentes intelligant se mutuo per illa verba velle contrahere matrimonium, vel sponsalia, sat erunt qualiacumque verba. Et ratio est aperta, quia cum de ratione matrimonii, vel sponsalium non sint expressa verba, vel signa, satis est, si verbis id significantibus, vel si verba id non significent, signo externo sibi mutuo animum indicent. Quare optime *Sot. 4. d.27. quæst.2. art.1. post 2. concl. vers. Quod si, & Bart. a Ledesm. de matr. dub.8. prope fin. Palacios 4. d.27. disp.1. f. 571. col. 2.* asserunt licet consensus contrahentium sint de præsenti, si non sibi mutuo per verba de præsenti explicent, sed per verba de futuro, non esse matrim. quod idem dixit *Petr. de Ledesm. de matr. q.45. art.3. dub. 2. ad 7.* ubi dicit, si contrahentes velint contrahere, & intelligant se velle matrimonium inire, quomodocumque explicetur consensus, & per quæcumque verba esse matrimonium.

Ex his infertur minime placere, quod dicit *Palacios proxime citatus*: nempe Indos apud Mechoacam solitos matr. contrahere per verba futuri, non vere contrahere matr. licet possent imponere futuro significationem præsentis. Idem videtur tenere *Alex. de Nevo cap. Ex litteris, el 1. de sponsalibus n. 18.* ubi dicit verba importantia sponsalia de futuro, importare de præsenti, si loci consuetudo id obtinuerit, dummodo talia verba sint, ut significationi præsentis aptari possint. Hoc (inquam) non placet, quia si consuetudo est inter illos significandi consensum de præsenti per ea futuri verba, jam adest consensus de præsenti, & signum externum sufficienter eum consensum exprimens, siquidem illa verba ex communi usu inter illos indicant consensum de præsenti, & ita procedet doctrina tradita n. 2. scilicet ubi utrique contrahenti constat de intentione, impertinens esse, sive verbis de præsenti, sive de futuro utantur. Item, quia ut dicemus nu. 26. ex multis licet hæc verba, Volo tecum contrahere importent consensum de futuro, si alicubi usus esset ea accipere, ut indicent consensum de præsenti, illis vere contraheretur matrim. idem probat doctrina *Veracruz 1. par. Spec. art. 19. fin.* ubi ait aliquos Indos sic inire sponsalia, Sepeliam te quando morieris, & esse vera sponsalia, & *eo iem art. vers. Dubitatur tertio*, & ipsum sequens *Barth. a Ledesm. de matrim. dub. 25. fol. 1376. & seq.* ubi ait apud Indos Mechoacenses esse in usu, ut uno dicente, Ego ducam te, alius respondeat, Forte & ego ducam te: & licet ex natura rei hæc non sint sponsalia, quia non est promissio determinata, at ex usu hæc & priora esse vera sponsalia: quia ex ipsorum consuetudine per illa verba satis explicatur animus. 3

Supponendum est 2. in foro externo non stari intentioni contrahentium, eo quod ea Ecclesiam lateat, sed communi verborum intelligentiæ, cogeturque uterque in eo sensu verba retinere, quem communiter recte intelligentibus generare solent, & sic stabitur regulis, quas statim subjiciam nu.10. & seq. de aliquorum verborum intellectu. Sic expresse deciditur *c. Ex litteris, el 1. de sponsalib.* & universi fatentur. Sunt etiam attendendæ aliæ conjecturæ, ut loquentium qualitas, & conditio, *cap. Solitæ, de majorit. & obed.* & docet cum aliis *Covar. 4. decr. 2. part. cap. 4. §. 1. nu.2. Ant. Cucus l. 5. instit. major. t. 11. n. 38.* Item attendendum est, de quo nunc temporis tractabatur, si enim de matr. verba dubia censendum est constituere matr. & si de sponsalibus, sponsalia: ut colligitur ex *c. Intelligentia, de verb. sign.* & docent *Palud. 4.p. d.27. q.2. a. 4. conc.5. n.27. Veracruz 1.p. Spec. a.17. dub. 2.* & dicemus in simili casu infra n. 27. Et generaliter in dubio facienda est interpretatio contra illum, qui potuit apertius suam mentem declarare, *l.2. ff. de pactis*, ut si dicat se voluisse contrahere sponsalia, & alter oppositum, alteri creditur, & econtra: hoc excepto, quod si is, qui primo verba protulit, dixit verba certa, & clara sponsalium, vel matrimonii, secundum eumdem intellectum debent intelligi, verba sequentis: quia videtur ad interrogata respondere. Sic *Palu. ibi, Petr. de Ledesm. de matr. q. 45. a.3. dub.1. concl. 4.* quam exceptionem, ut verba sequentis debeant intelligi juxta præcedentis verba, tunc accipe, quando verba sequentis sunt æquivoca, & dubia, secus si essent determinata, & clara: ut bene *Veracruz 1. p. spec. a.47. dub. 2.* Et tandem in dubio favendum est feminis, quia simplicius res tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur. Sic *Enriquez l. 11. de matrim. c.11. n.6. Barth. a Ledes. dub. 9. de matrim. f. 1234. Petr. de Ledes. d. dub. 1.* 4

5 Maxime tamen observandum est, in dubio sit matrimonium, necne, in matrimonii favorem sententiam ferendam esse: quia matrimonii favor multus est: ut constat ex *c. Ex litteris, de probation.* ubi deciditur existentibus probationibus paribus judicem absolvere debere, præterquam in liberali causa: ubi *gl. verbo, In liberali*, ait, Ut in matrim. & *c. fi. de sent. & re judic.* decidit textus, duobus judicibus ordinariis diversas sententias proferentibus, præferri sententiam in favorem rei nisi in causa favorabili matrimonii, & ita docent *Jo. And. c. Ex parte, de spons. n. 3. Host. ibi. Ant. n.10. Anchar. n. 7. Henr. n. 5. Alex. de Nevo n. 27. Præpos. n.6. fin.* dicens omnes approbare, *Card. c. fin. n. 1. fine, de clandest. despons. Abb. c. fi. n.7. de despon. impu. Lupus alleg. 56. nu. 14. Alciat. l.1. resp. cons.13. n.15. Ang. verb. spons. n. 7.* ubi *Silv. q. 5. Tabiena q. 3. n. 4. Armilla n.3. Menoch. de præs. l.3. præsumpt.3. n.9. Brunel. de spon. concl.5. n. 5. Alex. Carrer. l.1. de spons. c.22. Ant. Cucus l.5. instit. major. t.11. n.156. Ungarellus addit. ad Angelum matr. 2. n.12. Maschard. de probat. concl.1027. n.1. qui n. 3.* excipit, nisi dubium de matr. oriatur ex impotentiæ impedimento, de qua re, dum de eo impedimento tractaverimus, disputabitur.

6 Sed dubitabis utrum hoc intelligatur in foro conscientiæ, nam *Enriquez l.11. de matrim. c.13. n.4. fine*, ait, doctrinam hanc in foro externo accipiendam esse, ut in dubio sit matrimonium necne, pro matrimonio sit judex sententiam laturus: nam in foro conscientiæ nemo in dubio tenetur ad onus matrimonii: & *c.11. n.5.* ait in dubio æquali de consensu, an accessus fuerit habitus consensu conjugali, liberum esse accedentem, quia in dubio melior est conditio possidentis: ut in voto. Sed dicendum est, in utroque foro in dubio de consensu, & consequenter de matr. judicandum esse in favorem valoris matrimonii. Prob. nam inter utrumque favorem non est discrimen quoad matrimonii vinculum, id enim, quod in foro conscientiæ non est matrimonium, non est etiam in foro externo, & econtra: Ecclesia enim non potest facere, ut sit matrimonium, quod invalidum est, sed tantum in cognoscendi modo versatur differentia: nam in foro interno statur confessioni propriæ, in externo autem allegatis, & probatis: ut optime *Cov. 4. decr. 2.p.c.2.n.2.* cum ergo constita omnino veritate dubii valoris matrimonii, & non ex falsa præsumptione, judex in foro externo judicare debeat esse matrimonium: idem in foro interno, sentiendum est. Et confir. quia uterque forus idem judicat, ubi externus non innititur falsæ præsumptioni, ut dixi disp.5. n.20. Et ita hanc partem tuentur *Covar. 4. decret. 1. p. c. 4. §. 1. n.9. Greg. Lop. l.3. t.1. p.4. verb. Con ella, Menoch. de præsumpt. l. 3. præsumpt. 1. n.30.* ubi dicunt, dubitantem de consensu, & quo affectu accesserit ad sponsam, compellendum in utroque foro ad matr. & in utroque foro præsumi habuisse consensum: & reprobant quamdam distinctionem satis obscuram *Silvestri matrim. 2. q. 25.* nisi (inquiunt) post tale dubium contraxisset cum alia, tunc enim debet præferri posterius matr. certum priori dubio. Nec obstat simile de voto in dubio non obligante, quia id est verum in voto simplici, ubi nulla est traditio, & sic non est professio ex parte alterius, quæ prævaleat, qualis est in matrimonio.

7 Hinc infertur opinionem singularem alicujus Doctoris matrim. sustinentis, præferri plurium sententiæ illud impugnantium nisi textui aperto innitantur. Sic *Hostien. c. Si vir. de cognat. spirit. super verb. aliter, Joan. Andr. n.3. Ant. fine, Anchar. n.5. Abb. n. 3. Henr. n.4. Nevo n.4. Præpos. n.2. Fel. rub. despons. n. 6. vers.9. Dec. c. Directæ, n.4. de appell. Barbat. cons.6. n. 2. vol. 1. Berojus c.1. n.271. de const. Rosell. verb. Impedimentum, imped. 1. n.7. Ant. Gab. in mea edit. tom. 2. comm. l. 11. f.95. col.1. n.1. Menoch. alios referens, de præsump. l.2. præsump. 71. n.30. & seq. Ant. Cucus l.5. instit. maj. t.11. n.157.* Et idem dicit *Berojus*, quando opinio favet causæ piæ: & opinionem faventem matrimonio, vel causæ piæ præferendam esse docet etiam *Navar. sum. c.27. hispane n.286. latine n. 287.* Et probatur ex *c. Licet ex quadam fine, de test. & attest.* ibi: *tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Dei separare*, limitant optime *Alex. de Nevo, & Præpos. ibi* dummodo opinio illa singularis probabili rationi innitatur.

8 Hinc rursus infertur, quando intentio contrahentium constare nequit, & verba dubia sunt, sicut in foro externo, ita in foro conscientiæ judicandum esse juxta communem verborum intelligentiam, & juxta regulas statim a n. 10. tradendas, probatur, quia in voto, & in quibuscumque contractibus, quando de intentione non constat, ad communem verborum intellectum confugimus. Sic docent *Palud. 4. d. 27. qu. 1. art. 1. num 10. & q.2. a.4. concl.5. num.27. fine, Angel. matrim. 2. n. 28. Lud. Lop. 2.p. instruct. cap.36. de matrim. f. 1033. col. 2.* quod accipiendum est, quando contrahentes verborum significationem intelligebant, nam ubi esset ignorantia, deest voluntas.

Supponendum est 3. verba, quibus possunt matrimonium, vel sponsalia contrahi, esse quintuplicia: quædam sunt de præsenti, vel de futuro, quoad sonum, & significationem: ut, Accipio, vel Accipiam te in meam: alia quoad sonum, & significationem de præsenti, sed propter aliquod adjunctum fiunt de futuro, ut Accipio te in crastinum: alia de futuro, quoad sonum, sed de præsenti, propter aliquod adjunctum, ut, Ex nunc te habebo in meam: tandem alia sunt dubia, quem sensum efficiant, ut, Volo te habere in uxorem, vel esse meam. Insuper omnibus verbis dictis potest bifariam contrahi; affirmative, ut in exemplis positis, vel negative, ut, Nullam ducam nisi te. In præsenti disp. agemus de verbis affirmantibus: in seq. vero de negantibus. 9

Circa verba I. generis, quæ quoad sonum, & significationem sunt de præsenti, ut, Accipio te in meam, manifestum est constituere matrim. *cap. de spons.* Similiter est matrim. Habeo, teneo te in uxorem, ex nunc providebo tibi sicut uxori, ex nunc reputo te in uxorem. Quia hæc omnia important consensum de præsenti. Sic *Palud. 4. d.27. q.2. a.4. n. 25. Brunel. de sponsal. concl.13. n.1. Palacios 4. d.27. q.1. f.571. col.1.* est etiam in matrimonium si alteri conjugi dicenti, accipio te in meam respondeat femina, Placet. Sic *Hostien. cap. Si inter, in prin. de spons. Joan. Andr. n.3. Ant. n. 5. Anchar. n.2. Abbas antiquus, & Pan. n.7. Alex. de Nevo n.13. Præpos. n.2. Covar. 4. decret. 2. p.c.4. §.1. n.1.* & idem esset si responderet, Consentio, ut docent *Host. Joan. And. Ant. Alex. de Nevo, Anchar. Panor. Præpos. ibi.* Idem si quærenti, Vis hanc in uxorem? respondeat vir, Placet, vel, Volo, & similiter femina. Sic *Hostien. cap. Ex parte de spons.* ubi *Henr. n.3. Ang. matrimonium 2. n.10. sum. confess.* quam refert, & sequitur *Silvest. matrimonium 2. q.10. d.6.* Idem si dicat, Volo te in virum, alter conjux, & alter respondeat, Volo te in uxorem: nam licet dubium sit (ut videbimus n. 22.) quando verbum volo, jungitur infinitivo, an sit matrim. at quando jungitur accusativo reis manifeste indicat consensum de præsenti, & constituit matrim. Sic *Covar.* dicens esse certum, *4. decret. 2. p. cap.4. §.1. n.4. Gutier. q. can. l.1. c.21. n.27. Palacios 4. d.27. q.1. f.572. col. 1. Lud. Lop. 2.p. instruct. c.36. de matrim. f. 1034.* 10

Deinde circa verba, quoad sonum, & significationem de præsenti: de futuro autem propter adjunctum, ut, Accipio te in crastinum, & deinceps: *Ledes. 2. p. q. 47. a.3.* ait constituere matrim. quia revera consensus est de præsenti. Sed dicendum est, solum constituere sponsalia: quia consensus est de futuro, nec statim accipitur in uxorem femina. Sic *Victoria sum. de matrim. n.251. Petr. de Ledes. de matr. q.45. art. 3. dub. 1.* 11

Rarius circa verba, quoad sonum, & significationem de futuro, dicendum est constituere sponsalia, sive addatur verbum Promitto, ut, Promitto me ducturum Mariam: sive simpliciter proferantur, ut, Ducam, vel accipiam Mariam, quia in matr. hujusmodi verba ex communi Ecclesiæ consensu accipiuntur, ut promissoria, quare bene *Enriquez l.11. de matr. c. 13. n.1. Petr. de Ledes. de matrim. q.45. art.1. dub.1. vers. Secundo advertendum*, ajunt hæc verba constituere sponsalia, non ut significant prænunciationem futuri eventus, aut voluntaris propositum, sed ut significant promissionem in actu exercito. Hujus sent. sunt DD. qui ponentes modos, quibus contrahuntur sponsalia, ponunt, Ducam te, accipiam te. Sic. *D. Thom. 4. d. 27. q.2. a.1. corp. Richa. ibi a.3. q.2. Palud. ibi q.2. ar.4. concl.4. n.26. D. Ant. 3.p. tit.1. cap.18. §.2. Sot. 4. d.27. quæst. 2. art. 1. concl.3. & ibi, Palacios disp.1. f.571. col.1. Barth. Ledes. dub.9. de matrim. initio. Vivald. candel. 1.p. de sponsal. cap.3. n.19.* Et ex Jurisperitis, *Goffred. sum. tit. de sponsal. n.4. Host. sum. eod. tit. n.6. Joan. Andr. tract. de sponsal. n.1.* habetur to.9. tract. *Turrecr. cap. Ubi non est 30. q. 2. art. 3. n.4. Rosella matrim. 2. n. 15. Silv. verb. sponsalia init.* ubi *Tabiena qu.3. nu. 4. Armil. n.3. Mart. de Garatis inter consilia matrimonialia Zileti cons. 15. n.6. Maschard. alios referens de probat. concl. 1332. n.2. Joan. Lupus tract. de matrim. 1.p. n.4. Alex. Carrerius l. 1. de sponsal. cap.6.* uterque habetur to.9. tractat. Imo clarius id dicunt *D. Th. D. Ant. Silvest. Vival. ibidem*, dicunt enim contrahi sponsalia nuda promissione, ut, Accipiam te: & adhuc apertius *Richard. Goffred. Turrecr. Rosella, Tabien. Armil. Joan. Lupus, Sotus Bart. a Ledesm.* ajunt enim contrahi nuda promissione, ut, Ducam te, vel fidei datione, ut, Promitto me ducturum: & expresse *Alex. Carrerius d. cap.6.* ait utroque modo contrahi sponsalium obligationem, sed urgentiorem addito verbo, Promitto. 12

Rogabis tamen de his verbis. Promitto me desponsaturum Mariam. Quidam verba dubia esse ajunt, & intellecta de desponsatione de præsenti, esse sponsalia: intellecta autem per verba de futuro, esse promissionem de sponsalibus contrahendis: in dubio autem attendendam consuetudinem loci. Sic *Silvest. verb. Sponsalia, qu. 6. d. 4.* falso tamen refert Antonium, & Card. Idem *Angel. verb. sponsalia num. 11.* ubi *Tabiena, quæst. 7. num. 8.* Alii sentiunt si proferens verba, Te desponsabo, intelligat per annulum, non esse sponsalia, nisi consuetudo loci aliud habeat: si vero intelligat, idest, Sponsalia contraham, esse sponsalia. Sic *Præp. c. Si inter, fi. de spon.* 13

Dicendum tamen est non esse sponsalia, sed promissionem de sponsalibus contrahendis: quia idem est, Te dispensabo, &, Tecum sponsalia contraham. Sic *Ant. c. Si inter, n.8. de spons. Card. ibid. q.2. & 3. Henr. c. Is qui, n.23. eod. tit. Alexan. de Nevo d.c. Si inter, n.13. Millis in repert. v. Sponsalia non contrahunt, Tiraq. de retract. conven. ad fin. n.54. Cov. alios referens 4. decr. 1. p. c.3. init. n.1. Greg. Lop. l.1. v. El prometimento, t.1. p.4.* Quod intelligendum est, nisi consuetudo loci habeat per ea verba contrahi sponsalia: sic *Card. & Alexand. de Nevo ibi.*

14 Deinde circa verba, quæ sonant de futuro, at significant de præsenti ratione adjuncti, quando junguntur particulæ illæ adjunctæ verbis importantibus executionem, manifestum est constituere matrimonium, ut, Ex nunc, vel semper, vel omnibus diebus vitæ meæ, vel deinceps, vel posthac, vel ab hoc tempore, habebo te, vel tenebo te in uxorem, vel providebo tibi sicut uxori, vel tractabo te sicut uxorem, vel eris mea uxor. Prob. ex *c. Ex parte de spons.* ubi definitur esse matrimonium, si quis feminæ juravit ab eo tempore se eam in uxorem habiturum, idem *c. Si quis divinis 30. q.5.* quia revera important consensum de præsenti, si enim deinceps, seu semper est habenda femina in uxorem, ergo modo est uxor: & in hoc conveniunt tres sent. referendæ. Dixi, quando verba executionem significant, quia si eam non important, erunt sponsalia, ut, Deinceps ducam, vel accipiam te in uxorem. Sic *Palacios 4. d.27. q.1. f.571. col.1.*

15 Quidam Theologi teste *P. de Led. de matr. q.45. art.5. dub.2. fin.* existimant in hoc casu esse verum matrimonium, minime tamen Sacramentum: quia si quis dicat: Ex nunc te baptizabo in nomine Patris, &c. simul abluens, non est Baptismus: quia non sunt verba de præsenti, quamvis signum, seu factum ipsum denotet intentionem de præsenti. Sed omnino dicendum est, esse sacramentum, quia nullus est matrimonii contractus in lege Evang. qui sacramentum non sit. Nec obstat simile de Baptismo, quia verba determinata habet, qualia non habet matrimonium, sed sufficiunt verba, vel signa qualiacumque sint exprimentia consensum præsentem. Sic *P. de Ledes. ibid.*

16 Tota vero difficultas est, quando verbis futuri temporis importantibus executionem, nulla additur particula faciens significare de præsenti: ut, Habebo, tenebo, tractabo te ut uxorem, vel providebo tibi ut uxori. Triplex est opinio. I. esse matrimonium. Prob. ex *c. Si quis divinis 30. qu.5.* ubi dicitur esse matrimonium, si quis juravit feminæ, se in uxorem eam habiturum: idem *c. Ex parte de spons.* quamvis enim in verbis unius addatur: Ab hoc tempore, in alterius tamen verbis absolute dicitur, Te habebo. 2. quia hæc verba significant executionem actus consummati, unde contrahentes videntur tacite præsentem consensum significare: obligant enim se ad matrimonii executionem, nec potest aliquis habere quamdam in uxorem, nisi prius cum ea contrahat: & qui vult consequens, scilicet habere eam in uxorem, vult necessario antecedens, nempe cum ea contrahere, *l. illud ff. de acquir. hæred. c. Præterea, de offic. deleg.* Tertio, si apponantur, Ex nunc, est matrimonium ergo licet non apponatur: quia subintelligitur, si enim in obligatione non destinetur dies, incontinenti contrahitur obligatio, *l. in omnib. ff. de reg. jur. l. Eum qui Kalendis, ff. de verb. obligat.* ita docent *Gloss. c. Si quis divinis 30. qu.5. v. Habiturum & ibi Archid. Goffr. sum. tit. de clandest. despons. n.6. Speculator tit. de spons. init. n.6. Hostiens. sum. tit. de matrim. §. Qualiter contrahatur, n.3. Innoc. c. Ex parte, de spons.* ubi *Alanus, Vincen. & Philip. Card. ibi n.1. q.1. & 3. Abb. ibi* dicens communem, *n.3. 6.7. præpos. n.6. Turrec. c. Nec illud §. Sed objicitur 30 q.5. Rosel. matrim. 3. n.3. Silv. matrim. 2. q.9. & 10. Angel. matr. 2. n.9. & 12. Tabiena matrim. 2. q.9. n.10. Aret. cons. 142. Alex. consil. 152. n.4. l.5. Greg. Lop. l.2. t.1. p.4. v. E prometto. Villal. in comm. lit. M. n.58. Ant. Gabr. to.2. comm. in mea edit. l.11. v. matrim. f.91. & 93. Brunel. de sponsal. concl.13. n.3. Menoch. de præsump. l.3. præsump.3. n.3.* & est sent. satis probabilis. Quæ limitanda est, nisi procedant verba clare significantia contractum sponsalium, ut, Promitto me ducturum, & habiturum Mariam pro legitima uxore: tunc enim sunt solum sponsalia: quia verba dubia significantia actus executionem, restringuntur, & declarantur a verbis præcedentibus claris, sponsalia significantibus: argumento ex *c. Sedes, de rescrip. & Clem. Non potest, de procur. & l. ult. §. Cui dulcia, ff. de vino, tritico, oleoque leg.* & docent *Host. c. Ex parte de sponsal. paulo post prin.* ubi *Jo. Andr. n.3. Ant. n.10. Card. n.1. q.2. Anch. n.5. Henr. n.4. Alex. de Nevo 24. præp. n.6. Specula tit. de spons. init. n.7. Rosel. Pan. n.7. Silv. qu.9. Tabien. Greg. Lop. Menoch. n.4. proxime citat. Dec. c. Juravit, notab.4. de prob. Brunel. d. concl.13. n.4. Cov. 4. decret. 2. p. c.4. §.1. n.5. Guttier. alios referens, q. canonicis, l.1. c.21. n.36.* Et ex Theologis, *Lud. Lop. 2. p. instr. cap.36. de matrim. f.1033. Manuel 1. tom. summ. in nova edit. c.226. n.6.* Similiter econtra quando verba præcedentia sunt dubia, explicantur a sequentibus aperte significantibus matrim. ut, Non habebo aliam in uxorem, & accepto te in uxorem, tunc enim erit matrim. Sic *Ferretus cons. 85. n.1. & 2. Menoch. d. præsump. 3. n.5.*

17 II. Sentent. docet verba esse dubia, quare si significent, Ex nunc, esse matrim. sin minus sponsalia. Sic *Sotus 4. dist. 27. q.2. art.1. post 2. concl. vers. Est tamen.*

18 III. Sent. probabilior affirmat tantum esse sponsalia. Prob. quia ea verba, Habebo te in uxorem, intelligi possunt omnino vera, quamvis modo non habeam, sed tempore futuro, ut constat, ergo non significant consensum de præsenti. Item, quia hæ locutiones sunt æquivalentes, Pro aliquo tempore futuro habebo te in uxorem, &, Habebo te in uxorem, sed priores non constituunt matrim. ergo nec posteriores. Deinde, quia hæc verba, Habebo te in uxorem, licet statim obligationem producant, non tamen obligant ad statim exequendum: ergo non statim est celebratum matrim. sed obligationi satisfiet postea celebrando. Hanc tuentur *Jo. Andr. c. Ex parte, n.3. de spons. Anchar. n.4. Henr. fine, Alex. de Nevo num.27. Hugo, & Laurentius, c. Si quis divinis 30. q.5. Angel. auth. quib. mod. natur. effici legit. 9. fin. collat.6. Covar. 4. decret. 2. p. c.4. §.1. n.5. Guttier. qu. canonic. q.1. cap.21. a n.29. ad 36. Anton. Cucus lib.5. inst. major. t.11. n.43.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d.27. q.1. a.4. concl.4. n.26. Adrian. qu.2. dub.13. de matrim. Veracruz 1. part. Specul. art.17. dub.4. Enriquez l.11. de matrim. c.11. n.6. Barth. a Ledesm. de matrim. dub.9. Petr. de Ledesm. de matrim. qu.43. art.3. dub.2. Lud. Lop. 2. part. instr. de matrim. cap.36. f.1033.* Nec placet moderatio Antonii Cuci, nempe esse matrim. si addatur verbum Promitto, ut, Promitto me habiturum in uxorem: quia supponit contractum matrimonii. Sed non video unde supponatur, nec quam vim habeant constituendi matrim. ratione verbi Promitto. Placet tamen limitatio, quam ponit *Guttier. ibi nu.35.* ut sit matrim. si loci consuetudo obtineat, ut ea verba, Habebo te in uxorem important consensum de præsenti: vel si tunc temporis de matrimonio tractabatur, & iis verbis prolatis sequatur traductio ad domum.

19 Ex his infertur, non esse audiendos asserentes hæc verba, Numquam te derelinquam pro alia, constituere matrim. Hi sunt *Hostien. c. Ex parte de sponsal.* ubi *Joan. Andr. num.30. Anton. num.10. Anchar. n.7. Henriq. num.5. Alex. de Nevo num.27. præpos. n.8. Angel. matrimonium 2. n.11. Rosella matrimonium 3. num.6. Silvest. matrimonium 2. q.10. dict.5. Brunel. de spons. concl.13. n.1. Villalob. in commun. litt. M. n.57. Ant. Gabr. in mea edit. tom.2. commun. v. Matrim. fol.93.* Sed contrarium est tenendum, quia non significant consensum de præsenti. Sic *Felix Maleolus*, quem refert, & sequitur *Cov. 4. decret. 2. p. c.4. §.1. n.3.*

20 Hæc tamen verba, Post hac eris meus, vel ex nunc, constituunt matr. quia significant consensum de præsenti. Sic *Sot. 4. d.27. q.2. art.1. post 2. concl. vers. Est tamen Bart. a Led. de matr. dub.9.* Si tamen dicat uterque contrahens, Esto meus, & esto mea, *Galac. 4. d.27. q.1. fol.572. col.2.* dicit, esse verba ambigua. Melius tamen alii dicunt non constituere matr. quia est futurum imperativi, quasi rogantis, & petentis consensum, ut, Esto meus hæres, non significat statim esse hæredem. Sic *Galud. 4. d.27. q.2. art.4. concl.5. n.27. Sot. & Bart. a Led. proxime cit. Lud. Lop. 2. p. instr. de matrim. c.36. f.1033. col.1.*

21 Ad argum. 1. sententiæ propositæ nu.16. dico ad *c. Ex parte,* ex particula adjuncta, Ab hoc tempore; consensum de futuro importare de præsenti, & licet mulier respondens non repetat eam particulam, subintelligitur tamen, cum respondeat juxta verba præcedentia viri. Ad *c. Si quis divinis,* respondet optime *Gut. l.1. q. can. c.21. n.32. 33.* non esse decretum pontificium, nec alicujus sancti, sed esse desumptum ex *auth. Quibus modis nat. efficiant legitimi §. Quoniam autem collat.6.* & solum a Gratiano inseri, nec esse ab aliquo Pontifice confirmatum: tunc enim solum leges in decreto relatæ censentur vim canonis obtinere, quando in canone aliquo Pontificio insertæ fuerint; ut docent etiam *Ripa cap.2. n.80. de rescript. Sebast. Medices de legib. 1. part. qu.3. n.9. Menoch. de adipisc. possess. remedio 4. n.840. & seq.* Ad 1. dico necessario velle antecedens, pro eo tempore, quo vult consequens, at consequens, nempe habere ut uxorem, non vult statim, sed pro tempore quo contrahat matrimonium. Ad 3. dico concludere teneri statim contrahere, non tamen contraxisse.

22 Tandem circa verba dubia, ut, Volo tecum contrahere, te ducere, te habere in uxorem: est quadruplex sent. I. ait, nec constituere matrimonium, nec sponsalia. Sic *Astensis lib. 8. summæ tit. de matrim. q.7. sum. confess. l.4. t.2. q.4.*

23 II. Sent. dicit constituere matrimonium. Sic *Card. c. Ex litteris, el 1. num.1. de sponsal.*

24 III. Sent. distinguit, si verbum Volo, vel Placet, adjungatur infinitivo indicanti initium actus, ejusque suspensionem, erunt sponsalia, ut, Volo contrahere, ducere, accipere te in uxorem: si vero verbo denotanti executionem actus perfecti, est matrimonium, ut, Volo te habere, tenere in uxorem. Sic *Jo. Andr. c. Ex litteris, el 1. prope fin. de sponsal. & ibi Calder. & Anch. nu.27. Panor. n.5. Alex. de Nevo n.18.* & quamvis ibi dicat esse matrimonium, Volo te ducere, recantant palinodiam *c. Ex parte n.24.25. de spons.* ubi *Henriq. nu.3. Specul. tit. de spons. init. n.6. Jason l. Servi, 5. in prin. n.4. & 23. ff. de leg.1. Angel. matrim. 2. n.8. Silvest. matrim. 2. q.9. Tabien. matrim. 2. q.9. n.10. Brunel. de spons. concl.13. n.6. Ant. Cucus lib.5. instr. major. t.11. n.42.* & ex Theologis *Palud. 4. d.27. q.2. a.4. concl.5. n.27. Vivaldus candelabro 1. p. de matr. n.49. Lud. Lop. 2. p. instruct. c.36. de matr. f.1034. Manuel 1. tom. sum. in 2. edit. c.216. n.6.* Limitat tamen *Palud.* nisi sint aliquæ conjecturæ, ex quibus colligatur animus sola sponsalia contrahendi, ut quia tunc de illis agebatur. Et hæc sent. est probabilis.

25 IV. Sent. quam eligo, convenit cum præc. esse sponsalia. Volo tecum contrahere, vel te ducere: negat tamen esse matrimonium, Volo te habere, tenere in uxorem, sed sunt solum sponsalia. Prob. quia ea verba verificantur, licet proferens modo nolit esse suam uxorem, sed tempore futuro. Sic tenent *Ant. c. Ex litteris,*

el 1.

el 1. nu.9. de sponsal. ubi tantum concedit esse matrimonium, quando dicuntur ad alterius interrogationem, *Villalobos referens Barojum, in communibus, lit. M. n.65. Menoch. de arbitr. lib.2. cent.5. casu 496. n.23. & 29. Guttier. qu. can. 1. c.21. n.26.* & videtur expresse tenere *Cov. 4. dec. 2. par. cap.4. §.1. n.4.* dicit enim dubium valde esse, constitui matrimonium iis verbis, Volo te habere, propter ea, quæ statim dicet, scilicet non esse matrimonium, Habebo in uxorem.

26 Adde ea verba, Volo te ducere, non constituere matrimonium, quamvis addatur, & in te consentire per verba de præsenti. Sic *Menoch. alios referens, de præsum. l.3. præsum.3. n.6.* Limitandum est tamen, nisi consuetudo loci haberetur per ea verba, Volo te ducere, vel tecum contrahere, celebrari matrimonium: quia cum contrahentes consuetudinis non ignari iis verbis utuntur, satis sibi ipsis indicant velle matrim. inire. Sic *Joan. Andr. c. Ex litteris, el 1. prope finem, de spons. & ibi Card. n.1. Alex. de Nevo n.18. Cov. 4. decr. 2. p. c.4. §.1. n.4. Ant. Cucus lib.5. inst. major. t.11. n.42. Gutier. q. canon. lib.1. c.21. n.14. Salzedo reg.275. Bernard. Diaz in additio.* Limita 2. nisi ea verba deliberate prolata essent, id est, ad interrogationem alterius quærentis, Vis mecum contrahere? Sic *Auth. c. Ex litteris, el 1. n.9. de sponsal. Covar. Gutier. Anton. Cucus, Salzedo hoc n. allegati: Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c.216. n.6.* Sed merito contrarium tenet *Sotus 4. d.27. q.2. ar.1. post 2. concl. Vers. Eadem fere,* quia velle contrahere, non est contrahere.

27 Rursus limita, nisi præcessisset tractatus de contrahendo matrimonio de præsenti: tunc enim esset sufficiens conjectura animi contrahendi matrimonium, per hæc verba mutuo dicta, Volo tecum contrahere. Sic *Card. clem. 1. q.10. de consag. Cov. Ant. Cucus, Gutier. Salzedo, n. præd. allegati. Veracruz 1. par. spec. art.17. conc.3. Barth. a Ledes. de matrim. dub.9.*

28 Si autem illis verbis, Volo te habere, vel tenere in uxorem, adderetur particula, Ex nunc, esse verum matrimonium: sicut dixi n.14. esse matrimonium, Ex nunc te habebo in uxorem. Sic *Enriq. lib.11. de matrim. c.11. num.6.*

29 Tandem de illis verbis, Volo te esse uxorem. *Menoch. de arbit. lib.2. cent.5. casu 496. n.11.* ait constituere matrimonium. Sed melius dicendum est, esse verba æquivoca: ut sentiunt *Veracruz 1. p. Spec. ar.17. dub.1. Palacios 4. d.27. q.1. fol.572. col.1. Gutier. q. can. l.1. c.21. n.28. Enriq. l.11. de matrim. c.11. num.6. Barth. a Ledesm. dub.9. de matr. Pet. a Ledesm. de matr. qu 45. art.3. dub.1. vers. Secundo notandum.* Quare si eo verbo Volo explicetur velle eligentis, seu velle efficax, est matrimonium: quia sufficienter explicatur consensus de præsenti, si vero appetitus quidam, seu velle inefficax, nec sunt sponsalia. Quia appetere matrimonium, nec promittere est. Sic *Veracruz, Gutier. Barth. a Ledes. ibi.*

DISPUTATIO XIX.

Utrum per verba negantia, ut, Non contraham cum alia a te, vel quam tecum, vel præterquam tecum, vel nisi tecum, contrahantur sponsalia, vel matrimonium?

SUMMARUIM.

Quando est pura negatio, ut Nullam aliam a te ducam, an sint sponsalia, vel ad quid obligent ea verba, n.1.
Quid quando apponitur simul affirmatio, ut, Nullam aliam, sed te ducam, nu.2. explicatur l. Quibus, §. Quidam Titio, ff. de cond. & demonst.
Quid, Nullam aliam ducam nisi te, 1. opinio, esse sponsalia, 3.
2. Sententia, esse orationem æquivocam, 4.
3. Verior, non esse sponsalia, 5.
Quid, Nolo aliam nisi te, 6.
Quid si aliud ex conjecturis colligatur, num. 7. & solvitur arg. 1. sent.
Quid, Nullam aliam ducam quam te, 8.
Quid, Nullam ducam præter te, 1. opinio, esse sponsalia, 9.
2. Verior, non esse, 10.

1 IN hac qu. certum est, quando est pura negatio, itaut neque explicite, nec implicite includatur affirmatio, non esse matrimonium, nec sponsalia, ut, Numquam aliam a te ducam, quia consensus non præstatur per meram negationem. Sic *Pal. 4. d.27. q.1. a.1. n.10. Adr. q.2. de matr. dub.12. Sotus 4. d.29. q.2. a.3. v. De hac autem negativa Veracr. 1. p. spec. a.17. dub.5. Angles florib. 1. p.2. de matr. conditionato, diffic....c.9. fol.545. Lud. Lop. 2. p. instr. c.36. de matr. f.1034. & seq. Barth. a Ledes. dub.9. de matr.* Rogabis tamen an ex his verbis oriatur aliqua obligatio: nam *Sotus, & Lud. Lop.* videntur sentire nullam oriri obligationem, dicunt enim ex his verbis nullum contractum consurgere, idem videtur sentire *Angles*, ait enim esse puram negationem: nam si nullus est contractus, nulla est obligatio, & si mera est negatio, nullus omnino est consensus. Sed existimo eos intelligere nullum contractum matrimonii, nec sponsalium, nec obligationem ducendi hanc, oriri: de hoc enim agebant, & non intelligunt inde nullam consurgere obligationem. Unde dicendum est, promittentem illis verbis negativis, Nullam aliam a te ducam, minime teneri illam ducere, dum a matrimonio abstinuerit; si tamen matrimonium inire velit, teneri eam ducere: quia ad hanc obligationem contrahendam satis est omnia alia matrimonia negare, alias prædicta verba, A te, essent prorsus inutilia. Et confirmatur, quia si non adderet, Nullam aliam a te, sed absolute sponderet nullam se ducturum, teneretur ab omni matrimonio abstinere: ergo eo ipso, quod addit, Aliam a te, quod est idem, ac Te excepta, solum sibi reservat posse hanc ducere, casu, quo matrimonium eligat. Et ita docent *Pal. Adrian. Veracruz, Barth. Ledesm. proxime cit. Ant. Cucus lib.5. inst. major. tit.11. n.45.*

2 Deinde certum est, si addatur affirmatio, esse sponsalia, vel matrimonium, ut, Non aliam, sed te ducam, sponsalia: Non aliam, sed te duco, matrimonium. Quia, sed te, est exceptio affirmativa ducendi illam. Sic *Adrian. Sotus, Lup. Lop. nu.1. citati.* Similiter, Ducam, & non aliam, nisi te, sunt sponsalia: Duco, & non aliam, nisi te, est matrimonium: quia non tantum est negatio ducendi aliam, sed affirmatio ducendi hanc. Sic *Adrian. Ant. Cucus, Lud. Lop. n.1. relati, Cov. 4. decr. 2. p. c.4. §.1. n.8. Gutier. q. can. l.1. c.21. n.17. 19. 20.* Et hinc infert *Cov. n.10.* intellectum ad *l. Quibus, §. Quidam Titio, ff. de cond. & demonstr.* ubi habetur esse legatum conditionale, per hæc verba negativa, Hæres ne des Titio centum, nisi mater mea moriatur: quia præcesserat oratio affirmans, lego Titio centum, & deinde negans, Ne des, nisi mater mea moriatur.

3 Tota autem difficultas est, an dum quis ait, Nullam aliam ducam nisi te, illa dictio, nisi, solam negationem includat, & ita non constituat matr. adjuncta verbo præsentis temporis, nec sponsalia, si verbum futuri sit: vel potius includat affirmationem ducendi illam, & sic constituat matrimonium, vel sponsalia (non enim curo utrum horum, & ideo consulto omitto diversas opiniones, quas refert *Cov.* aliam sententem constituere matrimonium, aliam vero sponsalia) Tota enim difficultas consistit in significatione particulæ, Nisi. Triplex est sent. I. ait concludere affirmationem, & ita esse sponsalia, vel matrim. juxta verbum adjunctum: quia dictio, Nisi, cum sequitur negationem, affirmat, ut, Nullus nisi Petrus currit, est affirmare Petrum currere, & non alios: & quando sequitur affirmationem, negat, ut, Omnes nisi Petrus currunt, est affirmare alios currere, Petrum vero minime, *l. Si eum, §. Qui injuriarum, ff. si quis cautio, & l. Actione, C. de trans.* ubi *Bart. & reliqui, Dynus reg. Peccatum de reg. jur. in 6. nu.2. Jas. inst. de action. in princ. n.3. Rebuffus multos referens de verb. sign. l.216. prope in fin. §. Nisi.* Sed in præsenti casu, Nisi, sequitur negationem ducendi aliam, ergo affirmat hanc ducendam esse, & ita docent *Ant. c. Ex parte, n.19. de sponsal. & ibi Abb. n.8. & suus additionator ibi, Card. nu.4. Præp. n.7. Barbat. cons.6. vol.1. Alex. cons 192. vol.5. n.4. Jason l. Actione n.4. C. de transact. & ibi Curt. junior. n.5. Dec. n.6. Purpur. n.49. Alciatus l.1. respons. cons.13. n.13. Jac. Leonisa inter consilia matr. cons.52. n.3. & 4. vol 1. Rosella Matrimonium 3. n.4. Ang. Matrim. 2. num.12. Silv. Matrimonium 2. qu.10. d.4. Villalobos in commun. lit. M. n.56. Ant. Gabr. in mea edit. tom.2. commun. l.11. Verb. Matrimonium fol.92. Ant. Cucus l.5. instit. major. t 1. n.44. Menoch. de præsump. lib.3. præsump. 3. n.8. Ungarellus addit. ad Ang. matrimonium 2. n.12.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d.27. qu.1. art.1. n.10. Adrian. q.2. de matr. dub.12. Palacios 4. d.27. qu.1. f.572. col.1.* Constituunt tamen *Ant. & Ang.* discrimen inter hæc Non habebo aliam nisi te, &, Non ducam aliam nisi te; nam priora verba non constituunt sponsalia, eo quod verbum Habeo, solam voluntatem habitualem importet: secus de posterioribus verbis. Sed hæc differentia non placet, & idem in utroque casu dicendum est. Insuper *Adrianus ib.* differentiam agnoscit inter hæc, Non ducam aliam nisi te, quæ ait esse sponsalia: &, Non ducam aliam mulierem, nisi te, quæ nihil efficere dicit: quia æquivalet huic. Nullam aliam ducam, & tu es alia mulier: quæ propositio falsa est. Sed hanc distinctionem merito reprobant *Sotus, Cov. n.6. Gutier. n.12. Lud. Lop. referendi n.4 & 5.* dicentes utrumque dicendi modum æquivalere, & exponentem debere esse, Non tu es alia, sed tu es aliqua mulier.

4 II. Sent. ait esse verba æquivoca, si sensus sit exceptivus, id est, Præter te, sunt sponsalia, vel matrimonium: quia æquivalet huic, Non ducam aliam, & te ducam, si vero conditionalis, id est, Si aliquam duxero, non ducam aliam, nec sunt sponsalia, nec matrimonium: quia non important consensum determinatum, sed conditionalem. Sic *Sotus 4. d.29. qu.2. ar.3. Ver. De hac autem negativa. Barth. a Ledesm. de matrim. dub.25. fi. Petr. de Ledes. de matrim. q.43. ar.1. dub.1. vers. Quarto advertendum.*

5 III. Sent. cui adhæreo ait, nec esse sponsalia, nec matrimonium, & manifeste loquuntur DD. quando sensus est exceptivus, in communi enim loquendi modo nullum sensum facit, Nullam ducam, nisi te, & ita *Bart. l. Si eum, §. Qui injur. fi. ff. si quis cautio,* ait in his locutionibus, Nulli vendam, nisi tibi, accipi nisi, exceptive: quare eamdem doctrinam, quam tradunt de dictione, Nisi, quam retuli n.3. ut conjuncta affirmativæ neget, & negativæ affirmet tradunt etiam de dictione, Præter, ut referam n.9. quasi sentientes utramque dictionem idem importare. Præterea, quia omnes DD. hujus sent. reprobant primam dicentem constituere sponsalia: at ea sententia loquitur de dictione, Nisi, in sensu exceptivo, alias manifeste esset falsa, cum enim conditionalis nihil ponat in esse, luce meridiana clarius est in sensu conditionali non constituere matrimonium, nec sponsalia. Dicit ergo hæc sententia nec esse matrimonium, nec sponsalia, sed promissionem conditionalem, si aliquam ducturus sum, te ducam, quare potest libere sic promittens a matrimonio abstinere, probatur ex *l. Si sterilis, §. penult. ff. de act. empt.* ex qua colligunt multi, quos refert & sequitur *Padilla l. Actione, n.16. C. de transact.* promittentem

non

non vendere, niſi huic, minime teneri vendere, ſed ſolum teneri huic, caſu, quo vendiderit. Idem probatur ex *l. Titia, §. ſi. ff. de manum. teſt.* ibi, *Oneſiphore, niſi rationes reddideris*. Item ex communi modo loquendi, cui (ut dixi diſp. præc. n. 4. & 8.) ſtandum eſt in utroque foro, quando de intentione non conſtat, nam ſi quis promittat nullam ſe religionem niſi Carthuſiam profeſſurum, nemo affirmabit teneri Carthuſiam ingredi, ſed tantum teneri alias religiones non ingredi, & liberum ſibi eſſe Carthuſiam eligere, & tantum, ſuppoſita religionis electione, teneri Carthuſiam ingredi: ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu, ita docent *Spec. tit. de ſponſ. in princ. n. 3. & ibi, in addit. Joan. Andr. Joan. de Lignano*, quem refert, & ſequitur *Alex. de Nevo, c. Ex parte, n. 31. de ſponſ. Cepola conſ. 1. ex civilibus, Alciat. l. Actiones, C. de tranſact. n. 16. Cov. 4. decret. 2. p. c. 4. §. 1. n. 8. Navar. c. 22. Hiſpan. nu. 25. in ſum. & l. 4. conſ. in 1. edit. tit. de ſponſ. conſ. 48. in 2.* vero *conſ. 7. Greg. Lop. l. 2. verb. E prometo t. 1. p. 4. Guttier. q. can. l. 1. c. 21. n. 13. & ſeq.* & ex Theologis, *Veracr. 1. p. Spec. t. 17. dub. 5. Angles floriib. 1. p. qu. 2. de matrim. condit. diſſe. 9. f. 545. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 4. fine, & c. 12. n. 7. Pedraza in ſumma, præcepto 6. §. 19. Manuel 1. to. ſum. in 2. edit. c. 216. n. 7. & c. 244. n. 6. Barth. a Ledeſ. de matrim. dub. 9. Vega l. 6. ſum. caſu 92.*

6 Aliqui temperant hanc ſent. niſi contrahens diceret, Nolo aliam niſi te, tunc enim ajunt eſſe matrimonium: quia æquivalet huic, Volo te, & non aliam. Sic *Specul. & Greg. Lop. n. 5. allegati, Brunel. de ſponſ. concl. 13. n. fin.* Sed merito cum *Alciato* diſtinctionem hanc reprobant *Guttier. l. 1. q. can. c. 21. n. 21.* Unde alii authores diſtincte locuti ſunt.

7 Intelligo tamen hanc 3. ſent. niſi ex conjecturis appareat voluiſſe contrahentes per ea verba matrimonium, vel ſponſalia inire, ut ſi de hoc tunc temporis tractabatur. *Speculat. Alex. de Nevo, Cepola, Greg. Lop. Gutier. n. 18. alleg. num. 5.*

Ad arg. 1. ſent. propoſitum n. 3. dico, quicquid ſit in ſimplicibus affirmationibus in quibus ſorte dictiones exceptivæ junctæ affirmationi negant, & negationi affirmant (licet in illis etiam neget *Covar. allegatus* n. 5.) Verum in promiſſionibus, & contractibus ea doctrina non eſt vera, ſed ſenſus eſt conditionalis propter communem loquendi uſum.

8 Ex dictis infertur, quid ſentiendum ſit de dictione, Quam, ut, Nullam aliam, quam te, ducam, *Sotus & Barth. a Ledejm. cit. n. 4.* aſſerunt eſſe æquivocam locutionem, imo *Sotus* dicit forſan eſſe ſenſum vere negativum, non ducam aliam a te. Sed verius eſt idem importare, quod, Niſi, nam utraque dictio idem ſignificat, ut notat *Laur. Valla lib. 3. elegant. c. 54.* & conſtat ex *l. Conſulta, Code teſt. idem Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. §. 1. n. 7. Gut. q. can. l. 1. c. 21. n. 15.* quare *Menoch. lib. de præſump. 3. n. 8. Ant. Cuc. lib. 5. inſt. major. tit. 11. n. 44.* idem prorſus ſentiunt de utraque locutione. Unde dicendum eſt, non conſtituere ſponſalia, nec matrimonium, ſed conſtringere ſic promittentem, caſu, quo matrimonium eligat, ad ducendam illam: ſicut diximus n. 5. de dictione, Niſi. Sic *Nav. ſum. lat. c. 22. n. 27. verſ. Decimo, Vivald. Candel. 1. p. de ſponſ. cap. 4. num. 27.*

9 Tandem infertur, quid dicendum ſit de dictione, Præter, ut, Nullam ducam, præter te. Quidam affirmant includere affirmationem ducendi hanc, & ita eſſe ſponſalia: quia (ut tradunt Logici) ſic exponitur, nullam aliam a te ducam, & te ducam: ut, nullus homo præter Petrum currit, æquivalet huic, Petrus currit, & nullus alius. Item, quia dictio, Præter, ſi ſequitur affirmationem, negat, ſi negationem, affirmat, ut docent *Bart. l. Si eum, §. Qui injuriarum n. 7. ff. ſi quis cautio. Alber.* dicens communem *in ſuo dict. verb. Præter, Jaſ. inſt. de act. in princ. n. 3. Imola clem. Multorum, n. 10. de pœnis, additionator ad Innoc. c. Dudum, el 2. de elect. ſi. Rebuff. alios referens de verb. ſign. l. 22. fin.* de cujus dictionis ſignificatione conſulendus eſt late *Tiraq. de retr. lignag. §. 1. gl. 11. n. 73.* Cum ergo in noſtro caſu ſequatur negationem ducendi, continebit affirmationem ducendi hanc, & ideo hanc ſententiam tenet *Sot. 4. d. 29. q. 2. a. 3. verſ. De hac autem negativa, Angles floribus, 1. p. q. 2. de matr. condit. diſſe. 9. f. 545. Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 25. fine, Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. c. 36. f. 1035. Enriq. l. 11. de matr. c. 12. n. 7.* & idem dicent DD. allegati n. 3. ſentientes idem de dictione, Niſi, & eſt ſententia ſatis probabilis.

10 Oppoſitum tamen eſt probabilius: ſed dicendum eſt, quod diximus n. 5. de dictione, Niſi, nec matrimonium, nec ſponſalia conſtituere, ſed promiſſionem conditionalem. Probatur, quia, ut ibi probavimus, dictio, Niſi, eumdem ſenſum exceptivum faciat, quem dictio, Præter: quare DD. ibi allegati id docentes, quando apponitur dictio, Niſi, idem docebunt, quando dictio, Præter. Imo per probatur ex *c. Adjicimus 16. q. 1. ibi ſtatuimus, ut nullus, præter Domini Sacerdotes, audeat prædicare*, non tamen inde ſequitur poſſe omnes ſacerdotes prædicare, eſſet enim manifeſte falſum: & ita in propriis terminis tenet *Enriq.* hanc ſententiam *l. 11. de matr. c. 13. n. 4. fine.*

Ad argumenta dico ex communi loquendi modo, nec in promiſſionibus, nec in contractibus eum ſenſum facere, ſed conditionalem.

DISPUTATIO XX.

Utrum verba de præſenti inter puberes prolata clandeſtine, & quæ conſtituunt matrimonium clandeſtinum irritum juxta Tridentinum, habeant vim ſponſalium, & ut talia obligent, ſaltem ſi juramento firmentur.

SUMMARIUM.

In quo conſiſtat difficultas, num. 1.
1. Sententia, obligare, ut ſponſalia, 2.
Juramentum habet vim faciendi, ut actus invalidus eo modo, quo geritur, valeat meliori modo, quo valere poteſt, 2.
2. Sent. non obligare, ut ſponſalia, & explicatur c. unic. de deſponſ. impub. in 6. & quando actus non valens ut geritur, valeat eo modo, quo valere poteſt, 3.
Quid ſi juramento firmetur matrimonium clandeſtinum, 4.
Quid ſi ſecutum ſit famæ, aut virginitatis damnum, & an tunc teneatur reſtituere contrahens, 5.
Quid ſi clam contrahentes voluerunt ſe obligare eo modo, quo poſſunt, 6.
Solvuntur argumenta, 7.

1 HActenus egimus de verbis futuri temporis ſponſalia conſtituentibus, in præſentiarum diſputandum eſt, utrum aliqua verba præſentis temporis poſſint ſponſalia conſtituere, & in duplici eventu poteſt quæſtio præſens habere locum. Prior eſt, cum verba de præſenti ſuapte natura conſtituunt matr. at quia defectu ætatis non poteſt illud inter contrahentes conſiſtere, vertitur in dubium, an ea verba conſtituant ſponſalia: & de hoc diſp. ſeq. erit ſermo. Poſterior eſt, cum contrahentes habiles ſunt, claudicat tamen contractus defectu ſolemnitatis aſſiſtentiæ parochi, & teſtium, quam petit *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matr.* & de hoc eſt præſens diſputatio: cujus difficultas in eo conſiſtit, an Trid. ita irritarit matrimonium clandeſtinum puberum, ut nullam prorſus matrimonii ſponſalium obligationem pariat.

2 Duplex eſt ſent. 1. ait matr. clandeſtinum obligare, ut ſponſal. probatur ex ratione text. *c. unic. de deſponſ. impub. in 6. §. Idem quoque*, ubi habetur matr. impuberum obligare, ut ſponſalia, ut actus, qui non valuit eo modo, quo geſtus eſt, valeat modo, quo geri poterat: ergo ſimiliter quamvis matrimonium clandeſtinum puberum non valet ut matr. valebit tamen ut ſponſalia: cum enim Trid. (ut diximus diſp. 12. n. 2.) non irritarit ſponſalia clandeſtina, ſic valere potuit. Et confirm. quia ubi id, quod fieri poterat, includitur ſub eo quod fit, actus invalidus eo pacto quo fit, valet eo pacto quo fieri poterat, *l. Tam anguſti, ff. de ſervitut.* ubi id notant *Ang. Alber. & Flor. & communis*, ut refert, & ſequitur, *Cov. 4. dec. 1. p. cap. 3. §.* ſed contractus matrimonii includit contractum ſponſalium ut docet *ibi Cov.* & ratio eſt aperta, quia cum matr. ſit vinculum perpetuum, ut deinceps conjuges unum ſint, eo ipſo quod aliqui conſentiunt in matrimonium, volunt tunc, & tempore futuro jungi, & ita hæc verba, Accipio te in meam, claudunt hæc, Accipio te in futuro: ergo. Confir. amplius, quia matr. clandeſtinum inter impuberes valet ut ſponſalia (ut dicam diſp. ſeq. n. 2. & 5.) cum tamen ibi ſit duplex impedimentum, alterum clandeſtinitatis, alterum vero defectus ætatis: ergo a fortiori inter puberes, inter quos eſt unum ſolum impedimentum, 2. quia ſaltem, quando juramento firmatur, valebit ut ſponſalia, quia juramento ea ineſt virtus, ut faciat valere actus alias invalidos, eo modo, quo valere potuerunt, ut late probat *Guttier. cum aliis de juram. 2. p. c. 2. num. 3. & duplici ſeq.* Et ideo hanc ſententiam tenent *Veracruz append. ad ſpecul. dub 9. concl. 2. Enriq.* aſſerens ſic declaraſſe Cardinales *l. 11. de matr. c. 5. n. 4. Corduba ſum. q. 52. ſi. Barth. a Ledeſm. de matr. dub. 18. f. 1284. Ortiz ſum. c. 16. de matr. fine, Vega l. 6. ſum. caſu 120. & lib. 4. caſu 264.* Et eſt ſatis probabilis.

3 II. Sent. quam ampleſtor, aſſerit nullam prorſus parere obligationem. Prob. 1. ex ipſo decreto Trid. ibi, *ad ſic contrahendum eos ſancta Synodus omnino inhabiles reddit*, ergo taliter contrahentes nihil prorſus efficiunt: ſi enim valeret contractus, ut ſponſalia, non eſſent omnino inhabiles, ſed aliquo modo eſſent habiles: ſicut *c. unic. de deſponſ. impub. in 6.* loquens de matrimonio impuberum, non appellat eos inhabiles, ſed potius dicit valere contractum, ut ſponſalia. Et confirm. quia Trid. decernit, eum contractum eſſe irritum, & nullum, ergo non valet ut ſponſalia, alias non eſſet nullus, ſed aliquo modo validus. 2. Quia quoties jus reſiſtit contractui, nulla prorſus civilis, aut naturalis oritur obligatio, ut dixi ſupra diſp. 7. n. 16. ſed Trid. reſiſtit huic contractui, illumque pœna afficit tanquam peccata foventem, & contra bonos mores, ergo ex eo nulla oritur obligatio. 3. Quia, quando actus non valet, ut agitur, tunc valet eo modo, quo valere poteſt, quando eſt defectus ex parte cauſæ efficientis, ut contingit in matrimonio impuberum, habet enim debitam formam, ſolum claudicans defecta ætatis contrahentium: ſecus quando defectus contingit ex parte cauſæ efficientis, & formæ, tunc enim prorſus corruit contractus, ut bene *Bart. l. 1. §. Si quis ita, n. 5. ff. de verb. oblig. Domin. d. c. un. §. Idem quoque, verſ. Ad 4. & ibi Francus n. 2. verſ. ultimo nota, Peckius c. In malis, n. 2. de reg. jur. in 6. Azebedo l. 5. rec. t. l. 1. n. 32. & ſeq.* Sed in hoc caſu claudicat matrimonium ex parte cauſæ efficientis, cum Trid. reddat contrahentes inhabiles, & ex parte formæ, deeſt enim ſolemnitas eſſentialis ibi requiſita, ergo. Et confir. quia adjuc quando contractus ſolum claudicat ex parte cauſæ efficientis, ſi jus illi reſiſtat, nec valet, ut agitur, nec ut agi potuit, ut optime *Domin. ib. verſ. Verum ad primum*, & conſtat ex *c. Quod in dubiis, de renunc.* ubi licet clericus poſſit renunciare beneficium in ſui præjudicium, ſi renunciet in manibus laici, dicitur renunciationem eſſe nullam, eo quod jus illis renuntiationi reſiſtat: Tridentinum autem reſiſtit matr. clandeſtino. Et ideo hanc ſequuntur *Nav. lib. 4. conſ. in 1. edit. t. de ſponſ. conſ. 1. n. 3. in 2. t. de cland. deſpon. conſ. 3. num. 3. Gut. de jur. 1. p. c. 51. a. n. 28. ad 37. Azebedo l. 5. recop. t. 1. l. 1. n. 23. 33. & 36. Alboroz in arte contr. l. 4. t. 8. Spino ſpec. teſt. gl. 15. n. 78.* & ex Theologis, *Palacios 4. d. 28. q. ult. prope finem, verſ. Exquiris Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. ar. 5. punct. 2. poſt 4. dub. f. 182. concl. 1. Manuel 1. tom. ſum. in 2. edit. c. 220. n. 1. Vega l. 6. ſum. caſu 104. & 112.* & videtur ſupponere. *Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matrim. c. 37. f. 1041. col. 1.*

4 Idem dicendum eſt, licet juramento firmetur, quia jus tali contractui reſiſtit, eſtque contra bonos mores, in quo caſu juramentum omni prorſus obligatione deſtituitur, *reg. Non eſt obligatorium, de reg. jur. in 6.* ſic *Gut. ib. Azebedo n. 18.*

5 Intellige tamen hanc ſententiam, niſi ratione damni illati: ſi enim clandeſtine contrahens copulam habuit, licet non teneatur ratione contractus feminam ducere, tenetur tamen ratione injuſtitiæ, & damni feminæ illati injuſta illa deceptione, ut de ficte promittente dixi diſp. 10. n. 3. Sic *Petr. de Ledeſ. concl. 2. Manuel, Vega, caſu 122. relati n. 3.* qui ſolus explicat, ſi femina erat virgo. Et *Manuel* loquitur etiam, quando animo decipiendi ſic contraxit. Probabilius tamen credo non teneri, quando animo decipiendi ſic contraxit, licet virginem deflorarit, quia quoties virgo intellexit, vel potuit, & debuit intelligere ſe decipi, non tenetur deceptor eam ducere: ut dixi diſp. 10. n. 7. Sed in hoc caſu femina ſcire debuit ſe decipi, cum forma contrahendi matrimonia tradita in Trid. deficiat, & ſit tam vulgaris, ut ſit craſſiſſima ignorantia id neſcire, ergo: Sic *Nav. l. 4. conſil. tit. de ſponſ. in 1. edit. conſil. 1. n. 4. in 2. tit. de cland. de ſponſ. conſ. 3. nu. 4.* ubi hæc ait, *is, qui matrimonium contraxit abſque parocho, & teſtibus cum virgine, & defloravit, ad eum modum ſatisfacere tenetur, vel non tenetur, quo modo ſatisfacere tenetur, qui defloravit virginem volentem, & non deceptam*. Ubi nota amplius cenſere *Navarrum*, non teneri reſtituere: nam deflorans virginem volentem, nil tenetur reſtituere: idem quoad matrimonium docet *Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 19. f. 1239. fine, & ſeq.* Imo credo non teneri eam ducere, licet vero animo contraxerit illud matrimonium, & eam deflorarit. Prob. quia non tenetur ratione contractus, qui prorſus irritus fuit: nec ratione injuriæ illatæ, quia ipſa ſcivit, vel ſcire debuit matrimonium eſſe nullum, & pœna graviſſima dignum. Et confirmatur, quia majorem intulit injuriam, quando ficte contraxit, nam ultra defloationem, interfuit injuria doli: ergo ſi quando ficte contraxit, non tenetur, ut probavi a fortiori, quando vere: cum in utroque eventu contractus fuerit nullus, & in priori gravior fuerit injuria: & hoc videtur tenere *Navar. proxime cit.* indiſtincte enim de clandeſtine contrahente, virginemque deflorante, dixit ea ſola obligatione aſtringi, qua deflorans virginem volentem tenetur: quare eadem ratione dicendum eſt hunc minime teneri reſtituere: & tandem confirmatur ex doctrina, quam tradunt *Sotus 4. d. 29. q. 2. ar. 1. verſ. Hoc tamen addiderim, Enriq. l. 12. de matr. c. 10. n. 4. Capus l. 2. dec. c. 80. n. 12.* ubi dicunt promittentem conſanguineæ matrimonium, ſi Papa diſpenſaverit, eamque deflorantem, non teneri Papa diſpenſante, eam ducere, eo quod contractus eſt jure reprobatus: cum tamen valde dubium ſit eum contractum eſſe reprobatum, ergo a fortiori in noſtro caſu non tenebitur, cum conſtet matrimonium clandeſtinum jure reprobatum eſſe, & redditum prorſus nullum.

6 Rurſus intellige 2. ſent. niſi clandeſtine matrimonium contrahentes, animum habuerint ſe obligandi eo modo, quo poſſunt: cum enim potuerint per ſponſalia ſe obligare, ſic manebunt obligati, non ex contractu de præſenti, qui nullus eſt, ſed ex ſponſalibus in eo contractu implicite contentis: ſicut *Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 15.* irritat omnino profeſſionem minoris ſexdecim annis, ſi tamen dum minor profeſſus eſt, intendit ſe obligare eo modo, quo poſuit, tenebitur vinculo voti ſimplicis, quo aſtringi potuit. Sic *Petr. de Ledeſ. concl. 3. & Manuel relati n. 3. Fr. Medina* dum Salmanticæ doceret, ut eum refert, & ſequitur *Vega l. 6. ſum. caſu 120.* Sed credo adhuc non teneri. Quia contractus externus omnino nullus eſt, intentio autem ſola ſine actu externo valido, intentionis ſignificativo non poteſt obligare ad ſponſalia, quæ ſunt contractus inter homines. Nec obſtat dicere, in matr. virtute claudi ſponſalia, & ex alia parte adeſſe legitimam intentionem: quia quando explicatur inter puberes per ſola verba de præſenti, tam contractus de præſenti quam de futuro ſub ea incluſus omnino corruit, ut probavi n. 3. unde ſola manet intentio deſtituta ſigno aliquo externo ſufficienti ad producendam obligationem inter homines. Nec eſt ſimile de profeſſione, quia obligatio voti ſimplicis eſt in ordine ad Deum, cui omne cor patet, quare ſola intentio ſufficiens fuit ad obligandum.

7 Ad 1. arg. & primam confirm. patet ex dictis n. 3. quia inter impuberes ſolum claudicat contractus ex parte cauſæ efficientis, nec jus ei reſiſtit, ſed illum fovet, volens obligare, ut ſponſalia: inter puberes tamen claudicat ex parte formæ, & illi jus reſiſtit.

Ad 2. confir. nego cont. quia Trid. irritavit clandeſtinum, quod olim erat validum, non tamen quod erat invalidum ratione ætatis, ut dicemus diſp. ſeq. n. 5.

Ad 2. conſtat ex dictis n. 4. nam contractum, cui jus reſiſtit, minime firmat juramentum, unde ea doctrina eſt vera, ubi jus non reſiſtit contractui. Ad declarationem Cardinalium, quam affert *Enriq. cit. n. 1.* dico de ea minime conſtare, nec ipſe refert verba, nec alii, qui poſt ipſum ſcripſerunt ipſius meminere: & forte eſt quædam, quam referemus diſp. ſeq. n. 5. quæ ſolum loquitur de matrimonio contracto inter puberem, & impuberem, quod vim ſponſalium habere dicemus ibi.

DISPUTATIO XXI.

An matrimonium, ſive clandeſtinum, ſive publicum contractum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, habeat vim ſponſalium: quando malitia non ſupplet ætatis defectum.

SUMMARIUM.

Prima opinio non valere, ut ſponſalia, n. 1. & ibi juncto, n. 4. quando in obligationib. ſi actus non valet ut ſit, valeat eo modo, quo valere poteſt.
Actus non operatur ultra agentium intentionem, eodem, 1.
2 Opinio, jure communi valere, 2.
Quid ſi impubères tantum intendebant contrahere matrimonium, 3.
Solvuntur argumenta, 4.
Quid poſt Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de matrim. 5.

1 DIſputatio hæc poteſt habere locum ſtando in jure antiquo, & attento decreto Tridentini: & in utroque caſu diſputanda eſt. Circa I. aliqui antiquiores (ut refert *Cov. 4. decr. 1. p. c. 3. n. 3.*) exiſtimarunt, nec eſſe matrimonium, nec ſponſalia: & *Petr. de Ledeſm. de matr. q. 45. art. 5. punct. 2. poſt dub. 4. f. 182. col. 2.* ait in foro conſcientiæ, niſi habuerint expreſſam obligandi ſe intentionem meliori modo, quo poterant, nec eſſe matr. nec ſponſalia: & textus oppoſitum decidentes, præſumptive & in foro externo procedere. Et prob. ex doctrina *Barth.* quæ communis eſt, teſte *Cov. proxime cit. l. 1. §. Si quis ita, n. 5. ff. de verb. oblig.* ubi per illum textum ait, quoties agitur de contrahenda obligatione a duorum voluntate pendenti, actum non valentem eo modo, quo fit, minime valere modo, quo fieri potuit: quia actus agentium non debent ultra eorum intentionem operari, *l. Non omnis, initio, ff. ſi cert. pet.*

Dicendum tamen eſt, id matr. obligare, ut ſponſalia: ſic enim 2
definitur *c. fin. de deſponſ. impub. & c. unic. §. Idem quoque, eod. tit. in 6.* ubi amplius dicitur ex eo matr. tanquam ex veris ſponſalibus, oriri publicæ honeſtatis impedimentum, & id procedere in foro conſcientiæ: probatur, quia ubi forus externus non innititur fallæ præſumptioni, uterque forus idem judicat, ut dixi diſp. 5. n. 20. & in matrimonio, ac ejus impedimentis, idem in utroque foro ſentiendum eſt: ut dixi diſp. 18. *n. 9.* & 8. ſed cognita veritate, & ubi non conſtat de oppoſita intentione, judex in foro externo judicabit eſſe ſponſalia, & ex his oriri publicam honeſtatem: ergo idem in foro conſcientiæ cenſendum eſt. Et ratio hujus deciſionis eſt, ob contrahentium intentionem, qui videatur voluiſſe ſponſalia contrahere, caſu, quo matrimonium minime valeret: & quando actus includitur in eo, quod fit, ſi non valet eo pacto, quo fit, valet meliori modo, quo valere poteſt: ſponſalia autem virtute claudantur in matrimonii contractu: quæ omnia explicui diſp. præced. n. 1. unde non eſt dicendum extendi actum ultra contrahentium intentionem, ſed in illo actu, quando contrahentes non habuerunt expreſſe intentionem contrariam, includitur intentio ſe obligandi, eo modo, quo poterant. Quare hoc matr. obligare, ut ſponſalia indiſtincte docent *g. c. ſi. de deſponſ. impub. verb. Subarrata*, ubi *Ant. n. 4. Prepoſ. n. 3. idem c. unic. de deſponſ. impub. in 6. §. Idem quoque, verb. Matrimonium*, ubi *Francus n. 2. & omnes ibi: Goffred. ſum. t. de ſponſ. nu. 5. Hoſt. c. Aponis de deſponſ. impub.* ubi *Joan. And. n. 2. Anch. fin. abb. n. 2. Henric. n. 1. Alex. de Nevo n. 7. l. 6. t. 1. p. 4. Nav. ſum. lat. c. 22. n. 57. & l. 4. conſ. 1. de deſponſ. impub. in 1. edit. conſil. 1. in 2. conſil. 2.* ubi explicat habere locum etiam in foro conſcientiæ. *Angel. verb. ſponſalia, n. 7.* ubi *Silv. qu. 1. diſt 1. Tabien. n. 3. Armill. n. 3. Covar. 4. decret. 1. p. c. 3. n. 3. Brunel. de ſponſ. concl. 6. n. 2. Coſſanus de ſponſ. t. Quibus mod. contrab. n. 3.* uterque habetur tom. 9. tract. *Ant. Cuc. l. 5. inſtit. major. t. 10. n. 14. Perez l. 5. ord. t. 1. l. 1. f. 7. verſ. Dubitatur, ſpino ſpec. gl. 15. n. 78.* Et ex Theologis, *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 18. initio, Victoria ſum. de matr. n. 284. Sotus 4. d. 35. q. un. a. 5. verſ. Ad quæſtionem, Ledeſ. 2. p. q. 60. a. 1. f. 304. col. 1. Veracruz 1. p. Spec. ar. 16. & append. dub. 9. concl. 2. Palacios 4. d. 28. q. ult. ad fin. verſ. Exquiris, Lud. L. 1. p. 2. inſtruct. cap. 37. de matr. f. 1040. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 2. & 5. & c. 5. n. 4. Manuel 1. t. ſum. in 2. edit. c. 220. n. 2. Vivald. candel. tit. de ſponſ. 1. p. c 3. num. 20.*

Hoc tamen concedendum eſt priori ſent. hæc non eſſe ſponſalia vere & ſimpliciter, ſed juris interpretatione, ut ait *Sil. Matrimonium 5. q. 8. ad fin.* & ita ait præſumere jus voluiſſe ſe obligare eo modo, quo poſſunt: unde dicendum eſt, ſi re tantum expreſſe intenderunt matrimonii vinculo ſe conſtringere, non manebunt in foro conſcientiæ ad ſponſalia obligati, at ubi ea intentio expreſſa non fuit, videntur ſecundum jus contrahere, & erunt ſponſalia: ſicut ſupra diſp. 18. *n. 6.* diximus Eccleſiam præſumere, habentem copulam poſt ſponſalia accedere affectu maritali, & conſurgere matrimonium, *c. Is, quis fidem, de ſponſ.* quod matrimonium præſumptum, eſt in utroque foro validum, ubi non conſtat de oppoſita intentione. Similiter ergo in hoc caſu, in utroque foro ſtandum eſt præſumptioni Eccleſiæ, ſponſalia eſſe præſumentis, niſi oppoſitus animus conſtet.

Ad arg. dico, eam doctrinam *Bar.* explicatam eſſe diſp. præced. 4
n. 3.

n. 3. quando actus eſt nullus ex defectu formæ: quod hic non contingit. Vel dic eam habere locum, quando obligatio, quæ contrahi poterat, non includitur in obligatione contracta: ut bene explicat *Cov. citatus num.* 1.

5 Demum dubitatur an *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de matr.* correxerit hoc, ita ut ſi matr. clandeſtine contractum ſit inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, omnino corruat. Quidam Neoterici affirmant corrigere jus antiquum, ac proinde hodie non eſſe ſponſalia: quia is contractus peccat in forma, cum deficiat ſolemnitas requiſita in Trid. eique jus reſiſtit. Sed dicendum eſt, jus antiquum incorrectum manere, & ita hodie habere vim ſponſalium. Quia Trid. ſolis veris matrimoniis formam præſcripſit, illiſque clandeſtine celebratis reſiſtit: at hujuſmodi impuberum, vel quando alter eſt impubes, contractus nec eſt, nec fuit vere matrimonium, ſed juris interpretatione ſponſalia. Sic *Nav. ſum. lat. c.* 22. *num.* 57. *Lud. Lop. d. c.* 37. *f.* 1041. *col.* 1. *fine*, & *ſeq.* & ita declarant Cardinales, ut refert *Petr. de Ledeſm. cit. num.* 1. *f.* 181. *col.* 2. multi ex allegatis n. 2. pro hac ſententia ſcriptere poſt Tridentinum, & tamen abſolute illam tenent.

DISPUTATIO XXII.

Utrum ſubarrhatio annuli ſit ſufficiens ſponſalium, aut matrimonii indicium?

SUMMARUIM.

Subarrhatio eſt ſignum æquivocum, num. 1.
Attendenda eſt in hoc loci conſuetudo, 2.
Quid ſi verba unius præceſſerint, 3.
An oportet annulum in medio digito poni, 4.
Quid quando tractabatur inter amicos de matrimonio contrahendo, 5.
Quid ſi dum tractabatur de matrimonio, femina manum dedit, vel corpus viro, n. 6. *& ibi tacens habetur pro conſentiente in obligatione contrahenda; ubi intervenit aliquis actus poſitivus, & ibi remiſſive alia ſigna.*
Quid quando parentes miſerunt annulum, 7.

3 HActenus egimus de verbis expreſſis, quibus matrimonium, vel ſponſalia contrahuntur: cum autem ſignis verborum vices ſupplentibus, celebrari poſſit, jam de illis agendum eſt: brevique de annuli ſubarrhatione agam, latius autem videre volens, conſulat *Menoch.* & *Maſcar.* quos ſtatim referam. Sit I. concl. I. ex ſe loquendo ſubarrhatio eſt ſignum æquivocum quare ſi nihil præceſſerit, ex quo matrimonium, aut ſponſalia præſumi valeant, neutrius lignum erit. Quia ex aliis cauſis, ut ex amore turpi, fieri poteſt. Sic *Panor. c. fin. n.* 7. *de deſponſ. impub. Greg. Lop. l.* 2. *verb. Dicendo, t.* 1. *p.* 4. *Coſtanus de ſponſ. t. Quib. modis contrahantur, n.* 7. habetur *t.* 9. *tract. Menoch. alios referens de præſumpt. l.* 3 *de præſumpt.* 2. *nu.* 1. & *ſeq. Maſchard. de prob. conc.* 1024. *n.* 2. & *ſeq.* & ex Theologis, *Sot.* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 1. *concl.* 3. *Barth. a Ledeſ. dub.* 9. *de matrim.*

2 II. Concl. ſi conſuetudo loci ſit, annuli traditio ſignificet ſponſalia, vel matr. præſumitur juxta loci conſuetudinem. Sic *gl. c. Fœmina,* 30. *q.* 5. *fin. Ant. c. fin. num* 8. *de ſponſ. impub.* ubi *Abb. num.* 7. & *Alex. de Nevo n.* 12. *Card. ibi, q.* 1. & *c. pen. deſponſ. q.* 2. *Lupus allegat.* 56. *n.* 5. 14. & 16. *Aret. conſ.* 13. *n.* 14. *Cepola conſil.* 1. *civ. n.* 4. *Ang. verb. ſponſalia, n.* 7. ubi *Silv. q.* 5. *Armilla n.* 3. *Tab. q.* 3. *num.* 4. *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 4. *initio, num.* 3. *Coſtanus de ſponſ. t. Quibus modis contrahantur, nu.* 8. & 9. *Menoch. de præſump.* 2. *n.* 6. & ex Theologis, *Veracruz* 1. *p. ſpec. ar.* 16. *dub.* 3. *Barth. a Ledeſm. dub.* 9. *de matr.*

3 III. Concl. ſi verba unius præceſſerint, immiſſio annuli, & receptio, operatur verbum expreſſum alterius, & conſenſum. Quare ſi verbum matrimonii præceſſit, operatur matr. ſi vero ſponſalium, ſponſalia: quia tacens conſentit facto ipſo, dum annulum recipit: arg. *l. Paulus ff. rem. nat. hab.* Sic *gl. c. Tuæ, de ſponſ. verb. Verbæ,* & *c. pen. eod. t. Verb. Dicente,* ubi *Ant. n.* 9. *idem Ant. c. fi. n.* 8. *de ſponſ. impub. Abbas, Alex. de Nevo Sil. Ang. Tab. Armil. Cov. Menoch. n.* 4. *Veracruz, Barth. a Ledeſ. citati, nu.* 2. *Maſc. de prob. concl.* 1024. *n.* 2. & 3. *Villalobos in comm. lit. M. n.* 59. *Ant. Gabr. in mea ed tom.* 2. *com. l.* 11. *verb. Matrimonium, f.* 90.

4 Aliqui hoc temperant, quando annulus in medio digito annulari ponitur: quia ibi eſt quædam vena, quæ in cor ipſum protenditur: & ideo in ſignum mutuæ dilectionis in eo imponitur. Sic *Maſchard. concl.* 1024. *n.* 6. addit tamen cum *Pan. c. fin. n.* 7. *de deſponſ. impub.* attendendam eſſe loci conſuetudinem: & videtur tenere *Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 13. *n.* 6. dicens enim annulum eſſe ſignum, addit poſitum in medio digito. Dicendum tamen eſt id requiri, ut præſumatur matrimonium, quando vero non ponitur in medio digito, præſumi ſponſalia. Quia cum ſponſalia non ſint ipſa conjunctio, ſed conjunctionis promiſſio, non oportet annulum in medio digito poni, ut cordium conjunctio ſignificetur. Sic *Ant. c. Illud, n.* 7. *de præſump.* & *c. fin. n.* 8. *de deſponſ. imp.* ubi *Alex. de Nevo n.* 13. *Præpoſ. nu.* 4. *Aret. conſil.* 13. *n.* 4. *Menoch. d. præſumpt.* 2. *n.* 10.

5 IV. Concl. quando habito tractatu inter amicos de matr. contrahendo miſit ſponſas arrhas, vel jocalia, nihil aliud exprimens, & ſponſa acceptavit, ſunt ſponſalia. Quia hoc eſt ſufficiens ſignum mutuæ promiſſionis, quando ſponſæ de tractatu conſtitit, ſic *gl. c. Tuæ, de ſponſ. verb. Verba, Palud.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *ar.* 1. *n.* 10. *Roſella Matrimonium* 2. *n.* 17. *Cardub. ſum. q.* 193. *Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 13. *n.* 6. addens idem eſſe ſi pecunias nomine ſponſalitiorum mittat.

V. Concl. ſi cum tractaretur de matrimonium contrahendo, viro promittenti matrimonium, femina requiſita ſponte manum dedit ad fidem recipiendam, ſunt ſponſalia, quia id ſufficiens repromiſſionis ſignum eſt, tacens enim conſentire cenſetur, etiam ubi agitur de obligatione perſonæ contrahenda, ſi aliquis actus poſitivus concurrat: ut bene tradunt *Abb. c. Cum virum, n.* 3. *de reg. Ant. Gom. l.* 52. *Taur. n.* 24. ſic *Palud. 4. d.* 27. *q.* 1. *ar.* 1. *n.* 4. *D. Ant.* 3. *p.* 1. *t.* 1. *c.* 18 *init. Roſella verb. ſponſalia, n.* 1. ubi *Silv. initio.* Idem crederem, ſi ſponſus promitteret matrimonium, dummodo ipſa traderet corpus, ipſaque ſtatim traderet; traditio enim illa eſt ſufficientiſſimum repromiſſionis indicium. Secus autem eſſet, ſi quis feminæ manum capiat, dicens, Do tibi fidem de matrimonio contrahendo, ſi enim ipſa nil reſpondeat, non eſt ſufficiens ſignum: & ita non erunt ſponſalia. Sic *D. Ant. ibi, Tab. verb. ſponſalia, q.* 3. *n.* 4. & ibi *Armil. n.* 3. *Bart. a Ledeſm. dub.* 9. *de matr.* De aliis autem ſignis promiſſionis habes ſupra, diſp. 16. n. 6. Ex his inſertur intellectus *gl. c. fin. verb. Subarrhavi, de deſponſ. impub.* & *cap. Tenor, verb. Subarrhaſſet, de ſentent.* & *de jud.* ubi ait ex ſubarrhatione præſumi matrimonium: intelligitur enim, quando alterius verba præceſſerunt, ut ipſamet ſe explicat *c. pen. verb. Dicente de ſponſ.* vel quando ſic haberet conſuetudo, ut bene *Cov. 4. decr. 2. 2. p. c.* 4. *initio, n.* 3.

7 Tandem quando parentes ipſi miſerunt annulum: *gl. c. ſi. verb. Subarrhavit, de ſponſ. impub.* dici præſumi ſponſalia. Sed melius *Abb. eo c. fi. n.* 7. ubi *Alex. de Nevo n.* 2. *Maſc. de prob. conc.* 1024. *n.* 6. dicit non præſumi niſi donationem, quare niſi ex filii conſenſu mittat, nil prorſus agetur. Sic *Menoch. de præſum. l.* 3. *præſum.* 2. *n.* 8. dicens hoc aperte ſentire *Præpoſ. d. c. fin. n.* 6.

DISPUTATIO XXIII.

Utrum ſit taciti matrimonii, vel ſponſalium ſignum, quando præſentibus, & tacentibus, qui contrahunt, alii ipſorum nomine reſpondent, abſque expreſſo ipſorum conſenſu.

SUMMARIUM.

In quo verſetur difficultas, & quot diſputanda ſint, n. 1.
1 *Opinio, non ſatis eſſe tacere, quando parentes contrahunt pro filio,* 2.
2 *Opinio verior, ſatis eſse,* 3.
Quid ſi timore reverentiæ tacent filius, 4.
Solvitur argum. & explicatur c. 1. *de deſponſ. impub.* 5.
Poſt num. 5. *inveniet alia ſummaria.*

1 NOn diſputamus quando contrahentes procuratorem conſtituunt, ut ipſorum nomine contrahat; de hoc enim in 2. libro diſputabitur: ſed tantum quando abſque ipſorum licentia præſentium, & tacentium, vel abſentium & cum conſcii fuerint, tacentium parentes, vel alii eorum nomine contrahunt per verba de futuro, vel de præſenti coram parocho, & teſtibus: an priori caſu ſint ſponſalia, & poſteriori matrimonium, eadem enim eſt ratio, cum uterque contractus internum conſenſum ſigno externo manifeſtatum petat: atque ita tota difficultas eo tendit, an taciturnitas illa præſentis, & intelligentis, quid nomine ſuo agatur, ſi adſit conſenſus internus (eo enim deficiente, in quocumque eventu manifeſtum eſt nihil fieri) ſit ſufficiens ſignum exprimens internum conſenſum, ut ſic legitima ſponſalia, aut matrimonium conſtituatur. Rationem autem dubitandi offert *c. unic. de deſponſ. impub. in* 6. §. *fin.* ibi, *Ex ſponſalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus contrahunt, ſi filii expreſſe conſenſerint, vel tacite, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur iuſtitia publicæ honeſtatis: & eſt idem, ſi filii tempore ſponſalium abſentes, & etiam ignorantes, eadem ſponſalia poſt ſciuntes, ratificaverunt tacite, vel expreſse.* Circa quod decretum 3. quæſtiones diſputandæ ſunt. I. An ſufficiat ea taciturnitas, quando parentes pro filiis contrahunt. II. An ſufficiat, quando alii a parentibus. III. Quid quando parentes, vel alii contraxerunt pro abſentibus.

2 Quæſtio I. An quando parentes contrahunt ſponſalia, vel matrimonium pro filiis præſentibus, & tacentibus, cum contractum intelligant, valida ſint. Quidam dicunt id non ſatis eſſe, niſi aliud ſignum concurrat, quia taciturnitas in re tam gravi non ſatis exprimit conſenſum, eo vel maxime, quod ex verecundia, aliſve cauſis procedere poteſt. Item quia *c.* 1. *de deſponſ. impub.* conſtituere videtur differentiam inter infantes, & pueros doli capaces, ut pro illis poſſit pater contrahere, pro his vero minime, & ita tenent *Ant. Matrimonium* 2. *n.* 5. *Supplem. Gabr.* 4. *d.* 27. *qu.* 1. *ar.* 2. *concl.* 4. & *quidam Neoterici*, ut referunt *Peter. de Ledeſm.* & *Enriq. num.* 6. *allegandi.*

3 Sed omnino tenendum eſt ſufficere ad matrimonium, & vera ſponſalia conſtituenda, quia ſic expreſſe deciditur *cap. unic.* §. *fin. de deſponſ. impub. in* 6. cujus deciſionis ea eſt ratio, quia cum parentes plus filios, quam ſeipſos diligant, *l. Iſti quidem, ff. de eo, quod met. caus.* præſumitur recte eos filiis conſulere: quare præſentia, & taciturnitas filiorum jure optimo conſenſus reputatur. Et tenent omnes DD. *allegandi n.* 6. & 7. & ultra illos *gl. c. Honorantur, verb. Non deſponſalibus; 32. q.* 2. *Villalobos in comm. lit. M. n.* 60. *Navar. ſum. c.* 22. *lat. num.* 58. *diſp. num.* 21. *fin.* dicens eſſe omnium.

Limi-

4 Limitant aliqui, niſi filius metu reverentiali parentum taceat. Sic alios allegans *Felin. c. Nonne, de præſum. n.* 8. & 22. *Brunel. de ſponſ. concl.* 11. *n. unic. Veracruz* 1. *p. Spec. art.* 5. *fin.* Sed quoad iorum conſcientiæ parum prodeſt hæc limitatio, ſi enim internus conſenſus defuit, nihil prorſus actum eſt: ſi vero is adfuit, pendet valor matrimonii, vel ſponſalium ex cognitione, an talis fuerit metus reverentialis, ut annullet matrimonium, & ſponſalia, de quo latiſſime l. 4. ubi de conſenſu coacto agemus: proderit tamen, ut in foro externo ex ea taciturnitate conſenſus minime præſumatur.

5 Ad *cap.* 1. *de ſponſ. impub.* omiſſis aliis intellectibus, dico cum *Abb. ibi nu.* 3. & *Alex. de Nevo ibi in fine*, nullam conſtitui differentiam, quoad juris effectum, ſed tantum quoad decentiam, & honeſtatem; cum enim pueri doli capaces conſentire poſſint, dedecet parentes pro illis contrahere: quod ſecus eſt in infantibus, qui conſenſus expertes ſunt.

SUMMARIUM.

An ſit ſpeciale, dum parentes pro filiis contrahunt.
1. *Opinio negant, num.* 6. 2. *Verior,* 7.
An quando alii reſpondent, ſatis ſit tacita contrahentium ratihabitio, 8.
Quid quando mater reſpondet præſente filio, & tacente, 9.
Quid ſi filius ſit emancipatus, 10.
Quid ſi ſit ſpurius, vel ex coitu damnato, 11.
Quæ differentia ſit quoad forum conſcientiæ, ſive parentes, ſive alii reſpondeant, 12.
Utrum hæc immutata ſint per Trident. 13.
Quid ſi ſit conſuetudo, ut gubernatores urbium reſpondeant, ut apud Indos, 14.
Solvuntur argum. & enodantur cap. 1. *de matrim. contracto contra interd. Eccleſ.* 15.
Poſt quam invenies cetera ſummaria.

6 QUæſtio II. An ſit ſpeciale, dum parentes pro filiis contrahunt, ut ſufficiat præſentia, & taciturnitas. Duplex eſt ſent. I. ait non eſſe ſpeciale, ſed idem dicendum eſſe de quocumque extraneo. Probat. quia agitur de re naturaliter appetibili, & favorabili, in qua tacens conſentire cenſetur ut diximus ſupra diſp. 5. n. 5. 2. ex *c.* 1. *de matr. contract. contra interd. Eccleſ.* ubi judicantur ſponſalia contracta a fratre pro ſorore præſenti, & conſentiente, & non intelligi de expreſſo conſenſu conſtat, quia ſtatim textus ponderat aliqua taciti conſenſus ſigna, fruſtra autem ea ponderaret, ubi conſenſus eſſet expreſſus, Sic tenent *Gl. c. unic. de deſp. impub. in* 6. §. *fin. verb. Sponſalia*, & eam ſequi videtur *Domin. ibi, in fin.* eandem tenet *Hoſtien. d. c.* 1. & *ibi Anch. n.* 2. & ex Theologis, *Manuel.* 1. *tom. ſu n.* 2. *edit. c.* 234. *nu.* 4. idem tenent alii Theologi cum quadam moderatione, ajunt enim diſcrimen eſſe inter internum, & externum forum, in illo enim quicumque reſpondeat, ſatis eſt ad valorem matrimonii, vel ſponſalium: in hoc autem minime, niſi parentes, aut tutores ſint: quia aliis reſpondentibus minime præſumitur is conſenſus internus. Sic videtur tenere *Ricard.* 4. *d* 27. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 2. & expreſſe tenent *Victoria ſum. n.* 250. *Sotus* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *verſ. Præſens autem, Ledeſm.* 2. *p.* 4. *q.* 47. *a.* 2. *f.* 449. *col.* 1. *Angles floribus, 1. p. q. de eſſentialibus matr. a.* 2. *dub.* 3. *f.* 529. *Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 2. *n.* 6. *jundo comment. lit. P. Petr. de Ledeſ. de matr. q.* 45. *a.* 2. *dub.* 3. *Lud. Lop.* 2. *p. inſtruct. de matr. c.* 39. *f.* 1055. *col.* 2. *ſpec. leg. Bart. a Ledeſm. dub.* 19. *de matr f.* 1263. *Vivald. cand. ſacrament.* 1. *par. de matr. n.* 39. *Vega. lib.* 3. *ſum. caſu* 152.

7 II. Sent. multo probabilior aſſerit eſſe ſpeciale in parentibus; unde ſi alii reſpondeant, deſiderabitur aliud ſignum conſenſum internum exprimens, ut valeant ſponſalia, vel matrimonium, Prob. quia *c. unico* §. *fin. de deſp. impub. in* 6. tanquam quid ſpeciale hoc de parentibus ſtatuitur. 2. Quia quamvis matrimonium appetibile ſit, at cum certa muliere, vel viro contrahere poteſt eſſe nocivum, quare cum parentum munus ſit filios matrimonio collocare, & præ nimio amore, quo ipſos proſequuntur, præſumatur fore, ut ipſis bene conſulant, jure optimo judicatur conſenſus ex præſentia filii tacentis, quæ ratio in aliis non item militat: & ita videtur ſentire *D. Th.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. ubi videtur ponere tanquam ſpeciale, ut verba parentum ſufficiant præſentibus filiis, & tacentibus, & tenent expreſſe ex Theologis *Palud.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 1. *concl.* 1. *n.* 4. & *q.* 2. *a.* 3. *concl.* 4. *n.* 19. & 20. *D. Ant.* 3. *p.* 1. *t.* 1. *c.* 2. *ante* §. 1. *fin. Veracruz.* 1. *p. ſpec. a.* 5. *fine*, *Palacios* 4. *d.* 27. *q.* 1. *f.* 570. *col.* 1. *initio* Et ex juriſperitis *gl. c.* 1. *de matr. contract. verb. Præſente*, ubi *Innoc. n. unico, Abbas n.* 2. *Card. n.* 1. *Alex. de Nevo num.* 10. & 11. *Idem Innoc. c.* 1. *de deſponſ. impub. n. unico*, ubi *Card. n.* 2. *Alanus, Tancred. Vicent. Guillier.* quos refert, & ſequitur *Henr. ibi n.* 5. *Archid. c. unico*, *de deſponſ. impub. in* 6. *prope finem*, & *ibi Jo. Andr. fin. Francus ibi* §. *Porro, n.* 3. & 4. & *ibi Anch. num.* 3. *idem Pan. c. Nonne, de præſum. n.* 1. ubi *Fel. n.* 8. *Ant. c. Tuæ, n.* 7. *deſponſ.* & *ibi Præpoſ. n.* 11. *Joan. de Imola in repetit. ſuper illud c. Roſella Matrimonium* 2. *n.* 17. *Ang. verb. Sponſalia num.* 4. ubi *Sylv. q.* 2. *dilo.* 5. *Armilla nu.* 6. *Tab. q.* 5. *n.* 6. (minus tamen bene addit idem eſſe, quando frater pro ſorore contrahit.) *Hyppolyt. ſign.* 147. *Cov.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 4. *initio, n.* 4. appellatque priorem ſent. fallam; Idem tenet *Brunel. de ſponſ. concl.* 11. *n. unic. Coſtanus de Sponſalibus t. Qui poſſint contrahere nu.* 22. uterque habetur tom. 9. tr. *Greg. Lop. l.* 10. *verb. Nolas pudo, tit.* 1. *p.* 4. *Ant. Gab. in mea edit. tom.* 2. *communium lib.* 11. *verb. Matrimonium, fol.* 91. *Matienzo lib.* 5. *recod. rubr. gloſ.* 1. *nu.* 26.

8 Imo *Innoc.* 1. *unic. de deſponſ. impub.* docet, quando alii a parentibus reſpondent, deſiderari expreſſam ratificationem. Sed verius eſt, ſufficere tacitam: ut docent *Ant. eod. c.* 1. *fin. Jo. And. cap. unic. eod. t. in* 6. *fine*, & *ibi Franc.* §. *fin. num.* 4.

9 Idem quod de patre dictum eſt, ſentiendum eſt, cum mater pro filio præſente, & tacente contrahit ſponſalia, vel matrimonium, Tum quia *d. c. unico*, de parentibus eſt ſermo, ſub quo nomine uterque parens includitur: tum etiam quia deciſio illius textus non innititur patriæ poteſtati, ſed amori paterno, ut diximus nu. 7. qui ardentior eſt in matre. Deinde, quia in his ſpiritualibus, ſut præclare dixit *Innoc. cap.* 2. *n.* 1. *de regul.* & *ibi Abb. n.* 6. præferenda eſt ratio naturalis diſpoſitioni civili: nam patria poteſtas de jure civili eſt, naturaliter autem filius utrique parenti ſubditus eſt, ac obedire tenetur; qua ratione tuetur ibi matrem poſſe filium offerre religioni. Sic *Joan. And. d. c. unic. n.* 2. & *ibi Domin.* §. *fin. initio*. ubi *Anch. nu.* 3. *Fran. n.* 3. *Præpoſ. Henric. D. Anton. Ang. Tabien. Brunel. allegati num.* 7. *Palud.* 4. *d.* 27. *queſt.* 2. *art.* 3. *concl.* 4. *num.* 19.

10 Hinc infertur, idem dicendum eſſe, licet filius emancipatus ſit: cum textus indiſtincte loquatur, nec patriæ poteſtati innitatur: Sic *Innoc. c. de matr. contract. num. unic. Joan. And. d. c. unic. n.* 2. *Francus ibi*; §. *Porro, n.* 3. *ubi* & *Domin. Henc. c.* 1. *deſponſ. impub. n.* 5. *Brunel. de deſponſal. concl.* 11. *n. unic.*

11 2. Infertur, idem dicendum eſſe de filiis ſpuriis, & ex damnato concubitu genitis; eo quod in hoc conſideratur reverentia jure naturæ debita: juxta Doctrinam *Bart. l.* 2. *nu.* 4. *ff. de accuſat.* ubi docet, quoties jura voce naturali utuntur, ut parentum, liberorum, non eurandum eſſe de diſpoſitione juris civilis diſponentis ſpurios appellandos non eſſe filios: *auth. Ex complexu, C. de inceſt. nupt.* ſed jus naturale attendendum eſſe. Sic *Anch. d. c. un.* §. *fin. n.* 3. ubi *Francus n.* 3. *Brunel. d. concl.* 11. *n. unic.*

12 3. Infertur contra priorem ſent. latum eſſe diſcrimen in foro utroque, ſi parentes pro filiis præſentibus, & tacentibus contrahant ſponſalia, vel matrimonium, vel ſint alii extranei: nam in priori caſu, ſi non conſtat de interno diſſenſu, cenſebuntur etiam in foro conſcientiæ ſponſalia, vel matrimonium, & ſi vere fuit internus conſenſus, erunt vera ſponſalia, vel matrimonium: illud enim eſt ſufficiens ſignum externum, internam conſenſum exprimens, propter juris diſpenſationem, & rationem allatam nu. 7. in poſteriori vero, etiam ſi conſtet de interno conſenſu in neutro foro erunt ſponſalia, vel matrimonium, quia deficit externum ſignum ſufficienter manifeſtans internum illum conſenſum, ut probavi num. 7.

13 Inquires tamen an *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de matr.* correxerit hæc *Veracruz* 1. *p. ſpec. a.* 5. *fin.* ait correxiſſe, & ita five quicumque, ſive parentes contrahant pro filiis præſentibus, & tacentibus, nihil efficere: cum petat, parochum, & teſtes, mutuum contrahentium conſenſum intelligere. Sed dicendum eſt nil correxiſſe, non quoad ſponſalia, quia de illis non meminit, nec quoad matrimonium, quia dum parentes coram parocho, & teſtibus matr. ineunt, filiorum præſentium, & tacentium nomine, conſtat utique parocho, & teſtibus de contrahantium conſenſu parentum voce explicato. Sic *Veracruz* 1. *p. ſpec. a.* 6. *fi.* & *a.* 7. *fi.* & multi ex DD. allegatis nu. 6. & 7. cum poſt Trident. ſcripſerint, hujus correctionis non meminerunt.

14 Moderanda tamen eſt hæc *a.* 5. ſent. niſi conſuetudo loci obtinuerit per alios explicari conſenſum: ut contingit apud Indos; qui ita ſervi, ac timidi ſunt, ut nec pedem moveant abſque gubernatoris conſenſu: quare dum matrimonium ineunt, non ſolent ipſi verba proferre, ſed eorum nomine gubernator; & ſi ſignum externum ſufficiens ad exprimendum conſenſum internum, ex patriæ conſuetudine, dum ipſi præſentes ſunt, & tacent: ut in ſimili dixi diſp. præced. n. 2. Et ita docent *Veracruz* 1. *p. ſpec. art.* 7. *Matienz. l.* 5. *recop. in rubr. gl.* 1. *n.* 18. & *ſeq.*

15 Ad 1. arg. poſitum n. 6. conſtat ex ratione differentiæ aſſignata n. 7. ubi etiam probavimus matrimonium cum hac, vel cum illa, ſæpe eſſe nocivum. Ad 2. deſumptum ex *c.* 1. *de matr. contract.* dico *cum gl. ibi verb. Præſente*, adfuiſſe expreſſum conſenſum & ponderat textus alia ſigna tacita, ut confirmet eum conſenſum fictitium non fuiſſe. Vel dic, ultra taciturnitatem interfuiſſe alia ſigna tacita conſenſum exprimentia.

SUMMARIUM.

Quando parentes pro filiis abſentibus, vel infantibus contrahunt, an ſatis ſit poſtea illos ratificare. 1. *Sent. ſatis eſſe, num.* 16. 2. *Verior non ſat eſſe,* & *an ſit diſcrimen inter parentes,* & *extraneos, n.* 17. & *explicatur ibi,* & *tota hac diſp. cap. unic. de deſponſ. impub. in* 6.

16 QUæſtio III. Utrum, quando parentes contrahunt ſponſalia pro filiis abſentibus, vel infantibus, qui doli capaces non ſunt, ſatis ſit ſi dum poſtmodum noverint, vel fatti ſint doli capaces, idque norunt, taceant non reclamantes: dixi de ſponſalibus: quia in matrimonio locum id habere non poteſt, cum conſenſus præſtari debeat coram parocho, & teſtibus; nil dicas habere locum etiam in matrimonio, quando prior contractus parentum, coram parocho, & teſtibus initus eſt, & coram eiſdem certiores fiunt pueri doli capaces, & tacent non reclamantes. Quidam aiunt id ſatis eſſe: quia eadem prorſus eſt ratio, ac quando ipſis præſentibus, & tacentibus parentes contrahunt. Sic docent *D. Th.* 4. *d.* 27. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 1.

Palud.

Palud. ibi q. 1. a. 1. concl. 1. n. 4. Victoria sum. de matr. num. 267. Sot. 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad 1. Enriq. l. 11. de matrim. cap. 13. n. 5. Barth. de Ledesm. de matr. dub. 11. concl. 3. Petr. de Ledesm. de matr. q. 43. art. 2. dub. ult. concl. 2. Manuel. 1. tom. sum. in 2. edit. c. 234. n. 4. addens idem esse dicendum, sive parentes, sive extranei contrahant puerorum nomine. Et ex jurisperitis Anch. c. unic. §. Porro, nu. 3. de despons. impub. in 6. ubi Imola dicit forte hoc esse verum, & videtur tenere Alex. de Nevo c. 1. de matr. contr. n. 11. ubi ait filii præsentiam, vel scientiam habere pro consensu, & est satis probabile.

17 Verius tamen est non satis esse, quia textus c. unico de despons. impub. in 6. §. fin. manifeste constituit differentiam inter sponsalia a parentibus nomine filiorum præsentium, & tacentium contracta, quo casu dicit valere, si non contradixerint: & inter contracta filiis absentibus, quo casu dicit non valere, nisi certiores facti ratificaverint tacite, vel expresse, ergo in hoc casu ultra taciturnitatem, petit alia expressa, aut tacita signa consensus. Quæ autem sint hæc signa, dixi tota disp. 22. & disput. 16. num. 6.) Et potest esse ratio, quia quando puer præsens est, & intelligit, quid nomine suo agatur; magis præsumitur, si dissentiat, illum reclamaturum, quam dum absens est: quo casu sæpe obliviscitur, vel parum curat, forte existimans se posse postmodum reclamare, vel nondum consensum præstitisse. Ita docent, Joan. Andr. c. unic. n. 2. ubi, Dominic. §. Porro, & ibi Franc. n. 4. Ant. c. Tuæ n. 7. de spons. Card. c. 1. n. 2. de despons. impub. ubi Henric. n. 4. Brunel. de spons. concl. 11. nu. unic. & ex Theologis, Cordub. sum. quæst. 193. Vega l. 6. sum. c. 31. Unde in hoc casu nullum est discrimen, sive parentes contrahant pro filiis, sive extranei: ut bene tradunt Ant. eod. n. 7. Card. eod. num. 2. Ad argum. contrarium constat ex ratione differentiæ proxime tradita.

DISPUTATIO XXIV.

Utrum, esto dum parentes, vel alii absentium nomine promittunt matrim. non sint sponsalia, nec absentes obligentur; ad quid promittentes obligentur, & si id jurent, perjurii sint rei?

SUMMARIUM.

In quo consistat difficultas, num. 1.
An attento jure communi, & regio antiquo Castellæ, valeat facti alieni promissio, 2.
Qui casus excipiantur, 3.
Quid si pœna adjiciatur, 4.
Quid si promittat aliquis factum ejus, quem cogere potest, 5.
An etiam jure civili valeat promissio matrimonii alieni, 6.
Quid si juramentum accedat, 7.
Quid jure canonico, 8.
Quid in foro conscientiæ, 9.
Quid attento jure novissimo Castellæ, 10.
Ad quid teneatur promittens alterius matrimonium, 11.
Quid si tepide, & ficte id curet, nu. 12. & ibi de vovente religionem, qualiter teneatur curare, ut admittatur.
Quid si est negligens in facto alieno curando, quid teneatur restituere, 13.
Solvuntur argumenta. 14.

1 Videtur firmantem juramento promissionem facti alieni esse perjurium, & ad nihil obligari: quia promittit alienum factum, cum de facturi voluntate dubius sit, & ita rem dubiam jurat: Rursus cum rem sibi impossibilem spondeat, eo quod factum alienum in sua potestate non sit, videtur eum ab omni obligatione immunem esse, Unde difficultas in eo versatur, qualiter alieni facti promissio accipienda sit, & obliget.

2 Quia vero jus commune, & antiquum regium Castellæ discrepat a jure novissimo ejusdem regni, & a canonico, quid omnibus his juribus attentis sentiendum sit, præmittemus, deinde ad matr. alieni promissionem gradum faciemus. Incipiendo igitur a jure civili, & regio antiquo, præmittendum est attento hoc jure promissionem alieni facti minime obligare, §. Si quis alteri, & §. Si quis alium, & §. Versa vice, instit. de inut. stip. l. 11. t. 11. p. 5. Si quis vero promittat se facturum, & curaturum, ut alius id exequatur, valet utique promissio: quia est facti proprii. Si tamen non exprimeret se curaturum, sed absolute promitteret factum alienum, non subintelligitur se facturum, & curaturum, & ideo promissio non valeret, l. Stipulatio ista, §. Habere, in princ. & §. Sed si quis promittit. ff. de verb. oblig. & docent Abb. c. Ex litteris, el 2. de spons. n. 6. & ibi Alex. de Nevo nu. 12. Covar. de pactis, 2. p. §. 5. nu. 1. Ant. Gom. multos referens t. 2. variar. c. 10. n. 23. idem habetur l. 11. t. 11. p. 5. & ibi docet Greg. Lop. verb. Quæ procurare, Gut. de juram. 1. p. c. 44. n. 1. Gama dec. 32. n. 2. Matienzo l. 5. recop. t. 16. l. 2. gl. 6. n. 3. Azebedo ead. l. 2. n. 41. Olanus in concord. juris, lit. O. n. 9. P. Molin tom. 2. de just. tr. 2. disp. 268. §. Quod ad secundum.

3 Triplicem tamen casum excipit illa lex 11. t. 11. p. 5. in quod promissio alieni facti valet. I. est, si quis suos hæredes aliquid daturos, vel facturos promittat: idem habetur l. fi. C. de contrahend. & commit. stipul. II. nisi promissio fiat in judicio, veluti si quis promittat fore, ut aliquis judicio sistat, vulgo, *estara a derecho* vel rem judicatam ratam habeat, vulgo, *estara a lo juzgado*, id est *sententiando*, & tunc tenetur promittens ad interesse, nisi alius adimpleat: ut habetur illa l. 11. & l. Quoties, quid, ff. de verb. obl. & l. 2. ff. de rem rat. habetur III. si quis promittat rem pupilli incolumem servandam, ita habetur illa l. 11. & l. Prætoriæ ff. de prætor. stipul. & ratio est, quia in his casibus juris interpretatione, promittens factum alienum, censetur promissor interesse, si alius non adimpleat.

Ultra hos casus valet jure etiam civili promissio facti alieni pœna adjecta, ut si promittens se ad aliquam pœnam adstrinxerit, nisi alter adimpleat: tunc enim facti proprii casu, quo alius non efficiat, promissio est, l. Stipulatio, ista, in princ. vers. ult. ff. de verb. obl. & §. Versa vice, inst. de inut. stipul. & docet gl. §. Si quis alium, verb. Non obligabitur, inst. eod. tit. Covar. Matienzo, Azebedo, n. 24. Olanus, P. Molina, §. De jure communi, citati, n. 2. 4

1. Valet, quando est promissio facti illius, quem promissor cogere potest, ut filii, vel servi, Sic cap. Eleutherius, verb. Vigiliæ 91. d. Ant. Gom. 2. variar. c. 10. n. 23. 5

3. Valet etiam jure civili promissio matrimonii alieni, sic gl. c. unic. verb. Nihil, 30. q. 2. Alex. de Nevo c. Ex litteris, el 2. n. 12. despons. Præpos. c. Sicut, eod. tit. n. 6. Covar. n. 1. Gutier. n. 2. P. Molina, §. Quod ad secundum, allegati, n. 12. 6

4. Valet, si accedat juramentum: quia ne credatur facti alieni sponsorem perjurium admisisse, rem incertam promittendo, in eo juramento subintelligitur se facturum, & curaturum. Item quia juramentum habet vim clausulæ, si actus non valet ut ago, valeat eo modo, quo possit valere: ut dixi disp. 20. n. Sic tenent gl. c. Ex rescripto, fi. de jurer. additio ad gl. §. Si quis alium, post verb. Non obligatur, inst. de inut. stip. Abb. c. Ex litteris, el 2. n. 6. de spons. ubi Alex. de Nevo n. 12. & seq. Præpos. n. 7. Sylv. verb. Sponsalia, q. 6. ubi Ang. n. 9. Alex. Raphael. Jas. Paris. Corsetus, quos refert, & sequitur dicens esse communem, Covar. de pactis, 2. p. §. 5. n. 2. Greg. Lop. l. 11. verb. Quæ procurare, tit. 11. p. 5. Villalobos in comm. lit. P. num. 522. Ant. Gom. 2. var. c. 10. n. 23. P. Mol. t. 2. de just. tr. 2. disp. 268. §. Quintus, quando Gut. de juram. 1. p. c. 44. n. 3. 7

5. Valet jure canonico, & ita in materia canonica id jus servandum est, quia cum jus civile huic obligationi non resistat, sed solum ei minime assistat, æquitas canonica poscit eam admitti, intelligique promittentem facturum, & curaturum. Sic contra Alc. l. 4. §. Cato. n. 139. ff. de verb. obl. & Ant. Gom. dict. c. 10. n. 23. dicentes, nec jure canonico esse validam docent Ant. c. Ex litteris, el 2. de spons. n. 9. Abb. ibi nu. 6. dicens hoc esse æquissimum, quamvis jure non probetur: Alex. de Nevo ibi num. 13. Alex. & Jas. l. Stipulatio ista, in princ. n. 5. ff. de verb. obl. Fel. c. Ex rescripto, n. 18. de jurejur. Villalob. in comm. lit. P. n. 521. Cov. n. 1. & 2. Gut. n. 2. Matien. n. 4. Azebedo, n. 42. P. Mol. §. Quod ad secund. alleg. num. 2. 8

Demum obligat etiam promissio facti alieni in foro conscientiæ: cum enim jus ei non resistat, oritur ex ea obligatio naturalis: sic Cov. ibi n. 2. Mol. d. disp. 208. §. Quod si is. 9

Major autem difficultas est, an attenta l. 2. t. 16. lib. 5. novæ recop. Castel. valeat promissio facti alieni. Nam Ant. Gom. t. 2. var. c. 10. n. 23. & Perez l. 3. ord. t. 8. l. 3. §. Ita habetur f. 620. dicunt etiam attenta hac l. non valere. Sed hoc non mirum est, quia in antiquo ordinamento, quod solum uterque vidit, hæc lex valde æquivoca erat: dicebat enim sic, *O que se obligo un o de dar a otro, o de hazer.* Verum in nov. recop. cui standum est, clare hoc deciditur, ibi *O que se obligo, alguno que daria otro, o haria alguna cosa* quare attenta hac l. dicendum est promissionem facti alieni obligare, & accipiendam esse, ut sponsor se astringat ad curandum, ut alius efficiat: & sic docent Greg. Lop. l. 11. tit. 11. par. 5. verb. Que procurare, Gut. de juram. 1. p. cap. 44. nu. 6. Olanus in concl. juris, lit. O num. 9. & in correct. legum par. n. 94. Matienzo l. 5. recop. t. 16. l. 2. gl. 6. n. 5. Azebedo ead. l. 2. n. 41. P. Mol. d. disp. 268. §. Quod ad secundum. 10

His ergo præmissis sit concl. Promittens matr. pro absente, & conscio, etiam juramento præstito, non est perjurii reus, sed tenetur bona fide, & absque fraude, & fictione adhibere omnem diligentiam, quam rei qualitas exposcit: quod si alter adhuc nolit, liber manet. Prob. quia (ut dixi n. 6.) etiam attento jure civili promissio alieni matr. valet, & sensus spondentis est, se facturum, & curaturum, ut alter impleat: ergo jurans, hoc vere proprium factum spondet, & non rem dubiam, aut impossibilem, & adhibita diligentia sibi possibili promissioni, & juramento satisfaciet. Sic docent D. Th. 4. d. 29. q. unic. a. 4. ad 3. D. Bonav. ibi q. 3. fi. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 18. ante §. 1. vers. Item, qui contraxerunt, & c. 7. fi Sot. 4. d. 29. q. 1. a. 4. ad 3. Corduba sum. q. 171. punct. 1. Petrus de Ledesm. de matr. q. 43. art. 2. dub. ult. concl. 1. Vega l. 5. sum. casu 558. Et ex jurisperitis, gl. c. unic. 30. q. 1. verb. nihil, & c. Sicut verb. Jurantis, de spons. & c. 1. verb. Præsente, de matr. contr. ubi Hostien. Ant. n. 2. Præpos. n. 1. Alex. de Nevo n. 2. idem Hostien. c. Ex litteris, el 1. de spons. & ibi Innoc. & Ant. n. 9. Præpos. n. 4. Abb. c. Gemma, n. 9. de spons. Henr. c. An audientiam, n. 2 eod. t. Feder. cons. 167. Franc. Aret. cons. 142. initio, Rosella, verb. Sponsalia, n. 5. ubi Ang. n. 9. & Juramentum. 5. n. 34. Sylv. Matrim. 2. qu. 11. d. 9. & Juramentum 4. q. 21. & verb. Sponsalia, q. 6. ubi Tab. q. 7. n. 8. & q. 8. n. 9. & ibi Armillæ n. 8. & 11. Maranta pract. in quibusdam q. quas: in fi. disp. q. 7. n. 19. Covar. de pactis, 2. p. §. 5. n. 1. Gut. de juram. 1. p. c. 44. n. 2. Ant. Gabr. t. 2. commun. in mea edit. l. 14. verb. Promittens, f. 245. 11

Hinc infertur minime satisfacere fidei præstitæ promittentem factum alienum: si ficte, & simulate, ita ut ipso petendi modo voluntatem parum propensam ad id assequendum indicet, (quod vulgo, *pedir por complimento* appellamus) postulet. Et ita Hostien. 12

c. Ex

c. Ex litteris, el 2. de spons. dicit teneri ad procurandum, *sine pilca, & sine fictione*, hoc est, *sin doblez, y con verdad*: & ceteri DD. allegati nu. 11. dicunt teneri bona fide eniti. Et tenet expresse Maranta q. 7. proxime cit. n. 2. & confert doctrina Nav. c. Statuimus, 19. q. 3. n. 14. ubi docet astrictum religionis voto, quod ex facto alieno pendet, nempe ex ipsius admissione ad monasterium, teneri bona fide quærere religionem ipsum admittere volentem, nec satisfacere oretenus petendo, nutibus autem, aut aliis verbis, vel per alias personas significando se optare non admitti.

13 Tandem si promissor facti alieni negligens fuit, tenetur per se ipsum id præstare, quod alius effecturus erat, quod si minime possit, tenetur quantum id fieri intererat, damnaque ex ea omissione subsecuta restituere: quia injuste totius hujus damni causa fuit, & ita habetur l. 11. tit. 11. p. 5. & docet P. Molin. t. 2. de just. tract. 2. disp. 268. §. Quod si is.

Ad arg. n. 1. proposita constat ex dictis n. 11. non enim promittitur res dubia, aut impossibilis, ut ibi exposui.

DISPUTATIO XXV.

Utrum quando promissioni alieni facti, alienique matrimonii adjicitur pœna, si promittens adhibita sufficienti diligentia id assequi nequeat, immunis sit pœnæ?

SUMMARIUM.

Prima sent. jure communi non esse immunem pœnæ, num. 1.
2. Sententia distinguit, 2.
3. Verior, esse immunem, num. 3. & ibi pœna tantum tenere debet suos auctores.
Quid si addatur alterum cum effectu facturum, 4.
Ad quid teneatur certo promittens factum alienum, dubius de aliena voluntate, 5.
Quid si constet promittentem velle in omni eventu se ad pœnam astringere, & quando id constabit, 6.
Quid si promisit dare certum fidejussorem, & ille nolit, 7.
An attento jure Castellæ, l. 11. tit. 11. p. 5. sit correctum jus commune, & teneatur promissor, faciens quod in se est, ad eam pœnam, & explicatur ea lex, 8.
Quid quando pœna consistit in lucro amittendo, ut dum legatur alicui, si quidpiam fecerit, 9.
Solvuntur argumenta, 10.

1 Cum diximus disp. præced. n. 4. valere omni jure promissionem alieni facti adjecta pœna: & valet etiam eadem pœna adjecta in matrimonii promissione per extraneum, ut dicemus disp. 30. n. 5. Disputandum est, ad quid hujusmodi promissio astringatur, ut pœnam evadat. Et 1. disputabitur stando in jure communi: deinde vero an jus commune correctum sit in hoc Castellæ Regno. Stando ergo in jure communi, triplex est sent. 1. ait non excusari a pœna, quia is promissor aut prævidit, aut prævidere debuit difficultatem, cum factum ex aliena voluntate pendens spoponderit, ergo sibi imputare debet, nec difficultas hæc prævisa ipsum a pœnæ obligatione eximet. 2. quia eo ipso, quod rem sibi impossibilem promisit sub pœna, videtur omnino se ad pœnam astringere, casu, quo alter nolit. Sic tenent Franc. Aret. Car. Ruinus, Alciat. Jason, quos refert Covar. de pactis, 2. p. §. 5. num. 3.

2 II. Sent. docet sic distinguendum esse, si expresse promisit se curaturum, ut alter impleat, excusatur adhibita diligentia, & altero nolente: si autem directe promisit factum alienum sub certa pœna: aut juramento firmavit, & tunc similiter excusatur, quia resolvitur ea promissio in se facturum, & curaturum, ut dixi disp. præc. n. 7. Si autem non juravit, tunc jure canon. & in tribunali Ecclesiast. absolvitur a pœna; quia resolvitur in se facturum, & curaturum, ut dixi ead. disp. n. 8. jure autem civili, & sic in tribunali sæculari non excusabitur a pœna, & interesse, nisi quoties difficultas faciendi contigerit, non in ipso facti alieni promissore, sed in eo, qui facturus est, & ratio est, quia cum jure civili valeat hæc promissio ratione pœnæ adjectæ, & non alias, signum est valere, quoad pœnam promissam in omni eventu, in quo factum promissum non impletur, hanc tenet alias referens, & fatens esse contra communem, Covar. de pactis, 2. p. §. 5. num. 4. & 5.

3 III. Sent. multo probabilior affirmat immunem esse a pœna, & interesse. Prob. quia difficultas, quæ est impossibilitas in facti obligatione, excusat a pœna, & interesse, l. fin. §. Idem juris, ff. ad leg. Rhodiam de jactu. ibi: *nec per eum staret, quominus id faceret, remissam sibi esse pœnam speraret. Idem juris observabimus, si probatum, fuerit, nautam morbo impeditum navigare non potuisse: idem dicemus, si navis ejus vitium fecerit sine dolo, & culpa ejus.* Idem habetur l. 2. fere per totam ff. si quis cautio 2. Quia durissimum, & contra jus est immunem culpæ, pena, damnorumque solutione non eximi, contra Brocardicum illud vulgare collectum ex l. Sancimus, C. de pœnis, pœna tantum debet suos tenere auctores 3. Quia minime jure regni Castellæ, juxta quod valet hæc promissio facti alieni, ut diximus disp. præc. n. 10. imo & jure communi, casu, quo valet, resolvitur in se facturum, & curaturum, ergo si promissor faciat, & curet, liber erit a pena, & interesse, cum fidem servaverit. Hanc tenet Frederic. Matth. de Afflictis, Ang. Alex. Soc. Fel. Purpurat. Curt. Crottus, Thom. Gram. Lancel. Paris. & multi alii; quos refert Covar. d. §. 5. n. 3. dicens esse communem fere omnium, Bart. l. Continuus §. Istud, ff. de verb. obl. Ant. c. Gemma, n. 7. fine, de spons. ubi Anch. fin. Abb. n. 9. Alex. de Nevo n. 19. Præp. n. 7. fine, Rosella verb. Sponsalia, n. 7. Ang. ibi n. 14. Sylv. ibi q. 8. dict. 1. Tab. q. 8. n. 9. fin. Dec. reg. 144. n. 4. ff. de reg. jur. Maranta pract. in qu. quas in fine disput. q. 7. per tot. & maxime n. 20. Brunel. de spons. concl. 16. n. 6. Villab. in commun. lit. P. n. 91. Greg. Lop. l. 84. verb. Eguisara, t. 18. p. 3. & l. 11. verb. Tenudo, t. 11. p. 5. Ant. Gabr. 3. t. commun. in mea edit. l. 3. de pact. concl. 2. n. 2. Ant. Cucus l. 5. inst. major. t. 12. n. 196. Gutier. de juram. 1. p. c. 44. n. 3. Matienzo l. 5. recop. t. 16. l. 2. gl. 6. n. 6. Lancel. inst. juris can. l. 2. t. de spons. verb. Liberent, P. Mol. to. 2. de just. tr. 2. disp. 268. §. Quod si is.

Imo licet promissioni addatur, Promitto alterum facturum cum effectu, adhuc promissor pœna eximitur, faciens quod in se est. Quia ea verba important non simulate, sed vere, & bona fide se curaturum, hoc est contra multos, quos refert Covar. de pactis 2. p. §. 5. n. 6. & Rolandum cons. 6 n. 33. l. 1. & P. Mol. d. disp. 268. §. Quod si is, dicentes teneri ad pœnam: nisi (inquit P. Molina) ex circumstantiis constaret ad nihil se voluisse astringere, si id non consequeretur, sed solum id affirmasse ita enixe, fretum precibus, & industria sua, alium id effecturum, & ad significandum, quanto conatu, & diligentia id erat curaturus: & id intellexit is, cui pollicitus est. Sed nostram sent. docent Lancellot. Paris. Matth. de Afflict. Gramm. quos refert, & sequitur Covar. eod. nu. 6. Franc. Aret. cons. 142. Dec. Maranta n. 20. Gutier. Ant. Gabr. relati, n. 3. 4

Hoc tamen fatendum est, si promittens sciebat, se id minime obtenturum, aut ea de re dubitabat, decepitque eo promittendi modo eum, cui spopondit, ut illi promissioni innitens contractum onerosum iniret, alias non initurus, ut si aliquam uxorem duxit, quia promisit se obtenturum a rege officium, & id tanquam certum suasit, cum incertum esse intelligeret, teneri in foro conscientiæ æstimationem rei promissæ restituere, quia injustus deceptor fuit. Sic docet optime P. Mol. ea disp. 268. §. Quod si is. 5

2. Fatendum est, si de contrahentium animo constaret voluisse astringi ad penam, vel interesse in omnem eventum, tunc utique teneri, nec excusari, eo quod fecerint, quod in se ipsis est: ut si promiserunt se alterum indemnem servaturos, vel de propriis bonis soluturos, quia tunc non promittitur factum alienum, sed proprium in eum eventum, si alius non efficiat, nec habet rationem penæ, sed compensationis facti alieni, quod gerendum erat. Sic Dec. reg. 144. n. 4. ff. de reg. jur. Maranta prac. qu. quas in fine ponit, q. 7. n. 23. Covar. de pact. 2. p. §. 5. nu. 5. fine, Ant. Gabr. 3. t. commu. l. 3. de pact. concl. 2. n. 9. exemplificat Covar. cum aliis, quos refert nu. 6. Maranta & Ant. Gab. ibidem, ut si addatur in contractu, non posse excusari, quia fecit quicquid in se est: & idem Ant. Gabr. usque ad fin. illius conclusionis constituit alios modos, quibus possit explicari hæc voluntas. 6

3. Similiter dicendum est, si quis sub certa pœna promittat Titium fidejussorem, & adhibita omni diligentia nolit Titius fidejubere, eximi quidem a pœna, sed non ab alio fidejussore æque tuto præstando. Sic Bald. Aret. Dec. quos refert, & sequitur Ant. Gabr. de concl. 2. n. 2. 7

Gravior autem difficultas est, an jus commune hactenus enodatum, correctum sit per regium Castellæ l. 11. t. 11. p. 5. ibi, *si el otro no lo cumpliere, tenudo sera el de lo cumplir, o de lo pechar con los danos, i menoscabos*, Greg. Lop. ibi verb. Tenudo, ait satis urgere eam legem contra communem opinionem, & ita aliqui censent eam corrigere, & promissorem facti alieni adhibentem omnem possibilem diligentiam, non eximi a pœna conventionali, si alter non impleat. Sic Villalobos in antin. juris civil. & regii lit. P. nu. 40. & in commun. lit. P. n. 522. Olanus in concord. juris, lit. P. nu. 78. Azebedo l. 5. recop. t. 16. l. 2. n. 42. Verius tamen est, non corrigi, sed intelligendam esse eam legem, si promissor in adhibenda diligentia defecerit. Quia verbis adeo generalibus non est creditu dignum voluisse receptissimam sent. corrigere, & statuere, ut contra omne jus expers culpæ, sit reus pœnæ; sic Gutier. de juram. 1. p. c. 44. n. 3 8

Demum quid dicendum sit de pœna consistenti in lucro non comparando, ut dum legatur Titio sub conditione, si aliquid fecerit, & præter omnem culpam id facere minime potuerit: dicam infra disp. 33. n. 19. & sequentibus. 9

Ad arg. respond. ad 1. negando consequentiam, quia revera is promissor minime factum alienum spondet, sed proprium, quod sibi facile est, nempe se facturum, & curaturum. Ad 2. negatur antec. quia revera factum proprium sibi possibile pollicitus est. 10

DISPUTATIO XXVI.

Utrum verba promissionis, ut sponsalia constituant, debeant necessario ferri in personam determinatam, vel sint sponsalia, si pater unam ex filiabus promittat, ipsis consentientibus?

SUMMARIUM.

Non sunt sponsalia, nec oritur impedimentum seclusa copula, nisi, verba ferantur in personam determinatam, nu. 1.
Electio est patris promittentis, & si unam offerat, excusatur, & si omnes obeant præter unam, tenetur illam dare, 2.
Quid si omnes præter unam decedant, sed pater dum promisit, non intendebat illam dare, 3.
Quid si sponsus aliquam ex illis carnaliter cognovit, an pater teneatur illam tradere, 4.
Si pater promisit dare filiam certam, & illa recusante, sororem, ad quid teneatur, num. 5.

Si quis

Si quis promittat ſe unam ex pluribus ducturum, & illæ conſentiant, cujus eſt eligere, 6.
Quid ſi poſt eam promiſſionem, unam ex illis carnaliter cognoſcat, 1. ſent. attento jure antiquo non tranſire in matrimonium, 7.
2. Verior, tranſire, 8.
Quid ſi illæ non præbuerant conſenſum, vel tradens corpus certior jam facta erat de promiſſione, 9.
Quid ſi promiſit cum una ex incertis ſe contracturum, & quamdam cognoſcat, 10.
Quid ſi pluribus ſimul promitteret, 11.
An attento Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de matr. promiſſio illa ducendi unam ex certis feminis, tranſeat per copulam in ſponſalia cum illa: & generalius omnia ſponſalia conditionalia, per copulam tranſeant in abſoluta, n. 12. & ſi copula illa, & promiſſio ſit coram parocho, & teſtibus, ſit matrimonium.
An ſi conditio ſit dandi certam dotem, receſſum videatur a conditione per copulam, 13.

1 SIt I. concluſio, certum eſt non eſſe ſponſalia, quoties promiſſoris verba non feruntur in perſonam certam, ut ſi pater promittat ſe unam ex pluribus filiabus daturum, & ille conſentiat: nec oriri publicam honeſtatem. Quia ſicut matr. neceſſario eſſe debet cum perſona certa, ita ſponſalia, quæ ejus initium ſunt, & ita docent omnes.

2 II. Concl. electio ſemper eſt promiſſoris: id enim generale eſt in omni promiſſione alternativa, *regul. in alternativis, de reg. jur. in 6. & §. Præterea, inſt. de act. & l. Plerique, ff. de jure dot. & l. Si ita, ff. de contrab. empt.* unde pater promittens unam ex filiabus, offerens quamcumque, excuſatur, quamvis alter eam ducere nolit, *l. Si empt. §. Si emptio, ff. de contrab. empt. & l. Cum is, ff. de cond. indeb.* Si autem antequam aliquam ex illis offerret, omnes, una dempta, obirent, teneretur ſuperſtitem dare, expreſſe habetur *l. 11. t. 1. p. 4.* & ratio eſt, quia aliter fidem minime implere poteſt, & ita docent *Gofred. ſum. 1. de ſponſ. impub. n. 14. 15. 16. Henric. c. Ad audientiam, n. 2. de ſponſ. D. Ant. 3. p. t. 1. cap 18. ante §. 1 Verſ. Item qui contraxerunt. Roſella verb. Sponſalia, n. 4.* ubi *Ang. nu. 9. Sylv. q. 6. Tab. qu. 7. n. 8. Armilla n. 8. Brunel. de ſponſ. concl. 5. n. 6.*

3 Addit autem *illa l. 11. tit. 1. p. 4.* patrem promittentem unam ex filiabus, teneri ſuperſtitem ceteris obeuntibus dare, quamvis dum promiſit, non habuiſſet in animo illam dare, ſed quamdam aliam, quia revera indefinite promiſit, & nullam aliam dare poteſt. Quamvis autem hoc verum ſit in foro externo, in quo verbis externe prolatis ſtatur: in foro tamen conſcientiæ ſic diſtinguendum eſt: ſi abſolute promiſit, volens ſe abſolute obligare, quamvis animum habuerit dandi certam, tenetur utique dare aliam ſuperſtitem. Quia aliud eſt habere animum dandi illam, & aliud præciſe obligandi ſe ad dandum illam ſolam. quando vero externa promiſſio non omnino vera fuit, quia tantum habuit animum ſe obligandi ad certam tradendam, tunc ſi aliud damnum, aut ſcandalum minime ſequatur, non tenebitur aliam ſuperſtitem dare, quia ficte promittens matrimonium, non tenetur in foro conſcientiæ implere, ſi aliud damnum non ſequatur, ut late probavi ſupra diſp. 10. n. 26.

4 Rogabis autem, an ſi ſponſus copulam habuit cum aliqua ex filiabus a patre promiſſis, teneatur pater illam tradere. Nam *Henric. c. Ad audientiam, n. 2. de ſponſ.* aſſerit teneri: quia jam nullam ex aliis ſororibus poteſt tradere, propter affinitatem cum illis contractam. Sed dicendum eſt, niſi hæc filia cognita contraxerit ſponſalia determinata cum illo cognoſcente, patrem nec illam, nec aliam teneri tradere: non aliam, quia impedit affinitas: non illam, quia pater eligere poterat, nec delictum alterius potuit eum hac facultate privare: & hæc procedunt ſuppoſito hodie non tranſire ea ſponſalia conditionalia in matr. nec in ſponſalia abſoluta, ut dicemus n. 12. ſi enim tranſirent, illa eſſet danda.

5 III. Concl. ſi pater promittat Titio Mariam, & caſu, quo nequeat, ejus ſororem, tenetur tradere Mariam, ſin autem poſſit, aut Maria tacite, vel expreſſe conſenſit ſponſalibus, non ſub conditione, ut pater pollicitus eſt, ſed abſolute, tunc non poteſt ſororem tradere, impediente publica honeſtate orta ex prioribus ſponſalibus abſolutis, & validis: ſi autem illa non conſenſit, vel tantum ſub conditione, quæ impleta non eſt, tenetur utique ſororem dare, juxta promiſſa: cum nullum publicæ honeſtatis impedimentum obſtat, juxta *c. unic. de ſponſ. in 6.* Sic *Herinc. D. Ant. Roſella n. 5. Ang. n. 10. Sylv. allegati n. 2.*

6 IV. Concl. ſi quis promittat unam ex pluribus conſentientibus ducere, poteſt eligere quam maluerit, & electa tenebitur: quia omnes illæ repromiſerunt, & promiſſoris eſt electio, ut probavi n. 2. ſic habetur *l. 1. t. 1. p. 4.* & docet *ibi Greg. Lop. verb. Ovieſe*; itaque ſi promiſſio cepit a patre, ejus eſt electio, & alter repromittens tenetur illam ducere: e contra autem dicendum eſt, quando ab alio cepit promiſſio; quia priori caſu pater eſt promiſſor: poſteriori autem alius, & ſemper promittentis eſt eligere.

7 Gravis autem difficultas eſt, an attento jure antiquo, ſi quis ſe unam ex pluribus ducturum promittat, & poſtmodum aliquam ex illis carnaliter cognoſcat, ſponſalia illa tranſeant in matr. Quidam negant: quia ſola ſponſalia vera tranſeunt per copulam in matr. per *c. Is qui fidem, de ſponſ.* hæc autem non ſunt ſponſalia, ut dixi n. 1. ſic *Gl. c. Ex litteris, el 2. verb. Sub juramento, de ſponſ. & ibi Innoc. n. unic. Card. n. 5. Henr. n. 2. & duplici ſeq.* Addit tamen *Gl.* cogendum eſſe illam ducere: idem *Henric.* ſubdens judicis officio, & non ad inſtantiam partis id faciendum eſſe, & hoc, quando non poteſt aliam ex his, quibus promiſit, propter affinitatem contractam cum illis, ducere: ſecus, quando poſſet. Sed *Innoc. ibi* dicit nullo modo cogi poſſe contrahere cum illa, ſed poſſe licite aliam ducere.

Verum probabilius eſt tranſire in matr. Quia ea erant ſponſalia conditionata ante electionem, qua ſecuta manent abſoluta, hanc autem electionem factam eſſe per copulam cenſetur: nam per copulam purificatur conditio, & ſponſalia conditionata tranſeunt in matr. *c. De illis, de condit. appoſ.* ſic tenent *Hoſtienſ. ſum. t. de matr. n. 17. & c. Ex litteris, el 2. de ſponſ.* ubi *Jo: And. n. 10. Ant. n. 16. Anch. n. 7. Abb. n. 7. Alex. de Nevo n. 25. Præp. n. 6. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 18. ante §. 1. verſ. Item qui contraxerunt, Roſel. Matr. 3. nu. 9. ſum. confeſ. & Piſana*, ut refert, & ſequitur *Sylv. Matrimonium 2. q. 11. Montalv. l. 11. t. 1. p. 4. Greg. Lop. l. 9. t. 1. p. 4. Verb. Ovieſe*, & videtur approbare *illa lex. Covar. 4. decret. 1. p. c. 4. §. 2. n. 17. Alex. Carrer. l. 1. de ſponſ. c. 12. Villalobos* dicens eſſe comm. ſententiam, *in comm. lit. P. nu. 528. Ant. Cucus l. 5. inſt. major. t. 10. n. 29. Ant. Gabr. in mea edit. t. comm. l. 16. f. 245. & ſeq. verb. Promittens, Menoch. de præſumpt. l. 3. præſumpt. 1. n. 13. & 14 Spino ſpeculo teſt. gl. 15. nu. 65.* & tandem *Ang. Matrim. 2. nu. 2.* dicit hanc ſent. tenendam eſſe, antequam hic tranſeat ad ſecundas nuptias, ſi vero jam tranſierit, tenendam eſſe priorem ſententiam: ſed merito *Sylv.* hanc diſtinctionem reprobat. Et quamvis hi DD. ſolum loquantur, dum quis promiſit uni ex pluribus ſororibus matrimonium indefinite, a fortiori procedit, quando hæ non ſunt cognatæ, ut bene *Greg. Lop. d. Verb. Ovieſe.* 8

Intellige tamen hanc ſent. quando illæ promittenti matr. repromiſerant: ſecus enim, cum nullo modo ſint ſponſalia, non tranſibunt in matrim. Sic *Jo: Andr. c. Ex litteris, el. 2. de ſponſ. n. 8. Ant. n. 14. Anch. n. 6. Alex. de Nevo nu. 23. Præpoſ. n. 5. Greg. Lop. l. 9. Verb. Ovieſe t. 1. p. 4.* addit *Alex. de Nevo eod. n. 23.* quamvis femina tempore promiſſionis non conſenſerit, ignoravit enim illam, ſi tempore copulæ illius conſcia erat, videri ratificare, & conſequenter tranſire ſponſalia in matrimonium. 9

Intellige 2. dum promiſſio fuit cum una ex certis feminis, ſecus ſi cum una ex incertis, ut ſi quis promittat ſe ducturum quamdam ex feminis Cordubenſibus, tunc enim ſponſalia non ſunt, & conſequenter per copulam cum quadam ex illis, non conſurget matrim. Sic *Hoſtien. c. Ex litteris, el 2. de ſponſ.* ubi *Jo: Andr. n. 9. Ant. n. 15. Anch. n. 6. Abb. n. 7. Alex. de Nevo nu. 23. Præpoſ. n. 5. Roſella Matr. 3. n. 9. Sylv. Matr. 2 q. 12. Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 10. nu. 30.* Et reddunt hi DD. hanc rationem, quia in hoc caſu poteſt impleri promiſſio ducendo aliam, cum enim hæ feminæ non ſint cognatæ, non oritur affinitas. Sed merito eamdem ſententiam ſuſtinens, reprobat rationem, *Greg. Lop. l. 9. Verb. Ovieſe, tit. 1. p. 4.* Sed legitima ratio eſt, quia omnes illæ non conſenſerunt promiſſioni, ſi enim conſenſiſſent, eadem (inquit) ratio eſt, quæ in ſuperiori caſu, & ita eſſent ſponſalia conditionata cum illa, & tranſirent per copulam in matrimonium. 10

Intellige 3. ſi promiſſio contrahendi fuit cum una ex pluribus, ſecus ſi pluribus dixiſſet quiſpiam, Promitto me omnes vos ducturum; quamvis enim ipſæ conſentirent, & ſecuta eſſet copula cum aliqua ex illis, non eſſet matrimonium: quia non potuerunt eſſe ſponſalia, eo quod promittens nulli ſe obligavit in ſolidum, ſed æque cum aliis. Sic *Jo: Andr. & Socin.* quos refert, & ſequitur *Greg. Lop. l. 9. verb. Ovieſe, tit. 1. p. 4.* 11

Tandem dubitatur, utrum attento decreto *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de matr.* cum jam certum ſit illa ſponſalia conditionalia non tranſire in matr. per copulam cum quadam ex illis feminis, ceſſarunt enim matrimonia præſumpta: dubitatur (inquam) an ſaltem per copulam illam efficiantur ſponſalia pura, & abſoluta, & ut talia obligent ad contrahendum. *Spino ſpec. teſtam. gl. 15. n 65.* affirmat. Sed cum hæc ſint ſponſalia conditionalia ante electionem, ut diximus n. 8. deciſio hujus quæſtionis pendet ex illa, an ſponſalia ſub conditione honeſta inita, tranſeant in ſponſalia abſoluta, & pura, quando ante conditionis eventum ſponſi carnaliter commiſcentur. Et quidem ſi conditio jam defecerat, manifeſtum eſt non recedi per copulam a conditione: quia jam ſponſalia omnino diſſoluta erant. Ita docent *Hoſtien. c. Per tuas, fin. de condit. appoſ. & ibi Anch. n. 3. Abb. nu. 4. Ang. Matrimonium 3. impedimento 3. n. 2. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. n. 13. Greg. Lop. l. 3. Verb. Si diſpues, t. 4. p. 4.* Quare difficultas procedit, quando nondum defecit conditio, ſed adhuc eſt in pendenti, & videtur ſponſalia manere pura, quia ablata conditione pura manent, ſed per copulam videtur receſſum a conditione *c. De illis, & c. per tuas, de condit. appoſ.* ergo. Verius tamen eſt non effici ſponſalia pura, nec recedi a conditione. Et ratio eſt, quia ea præſumptio inde oriebatur, ne Eccleſia præſumeret delictum fornicationis, præſumebat acceſſum affectu conjugali, & ſubinde conſenſum de præſenti, unde, ut optime dicit *Sotus 4. d. 29. a. 3. poſt 3. concl. verſ. Sed rurſus ſciendum*, ſi affectus eſſet fornicarius, non videtur recedi a conditione: ſed hodie jam non poteſt eſſe affectus conjugalis, ſed ſemper eſt fornicarius, cum per copulam illam occultam non tranſeant ſponſalia in matr. ergo jam nullo modo videtur recedi a conditione, ut ſponſalia maneant pura. Unde in noſtro caſu dum aliquis promiſit unam ex certis ſe ducturum, quamvis ad aliquam ex illis carnaliter accedat, non manent ſponſalia pura. Si tamen prior promiſſio fieret coram parocho, & teſtibus, & coram eiſdem copulam affectu conjugali, 12

maneret jus antiquum illæſum, & eſſet matr. juxta dicta nu. 3. ſervatur enim forma præſcripta in Trident.

13 Id tamen monuerim, ſi conditio adjecta ſponſalibus ſit de dote conſtituenda, quamvis antiquitus recedi videbatur a conditione per copulam, & hodie etiam ſi omnia fiant coram parocho, & teſtibus: id tamen eſt ad hunc effectum, ut non ſpectetur conditionis eventus ad purificandum matrimonium, non tamen, ut dotis ſolvendæ obligatio extincta ſit: quia hoc nullo jure deciditur. Sic *Sotus 4. d. 29. q. 2. a. 3. poſt 3. concl. verſ. Contra hoc autem.*

DISPUTATIO XXVII.

An ſponſalia obligent ſub culpa lethali.

SUMMARIUM.

Prima ſent. non obligare ſub mortali, num. 1.
2 Tenenda, obligare ſub mortali, & explicatur l. 1. C. de ſponſal. num. 2.

1 HActenus de conditionibus ad ſponſalia conſtituenda requiſitis egimus; jam de obligatione ex ipſis conſurgenti diſputandum eſt. Hæc autem poteſt oriri, vel ab intrinſeco, ratione præcepti naturalis obligantis ad finem ſervandum: & de hac obligatione erit ſermo hac diſputatione, & ſequenti: vel ab extrinſeco, & hoc vel ratione coactionis judicialis, quia judex cogit: vel conventionalis, quia ex partium conventione pœna per fidem frangentem ſolvenda, adjecta eſt, aut traditæ arrhæ per eumdem amittendæ: Et de his coactionibus eſt habendus ſermo diſp. ſeq. Videtur igitur, ſponſalia minime obligare ſub culpa lethali, per *l. 1. C. de ſponſ.* ibi, *alii deſponſata renunciare conditioni, & nubere alii non prohibetur*, ubi *gl. & Cynus* dicunt idem eſſe ſecundum jus can. & *Gratian.* idem tenet *ſub dub. 37. q. 2. Sed aliud, & §. fin.* & tanquam probabile hoc ponit *cap. Requiſivit, de ſponſ. nu. 6. Abb. Panor.*

2 Sed tanquam certum tenendum eſt obligare ſub culpa lethali ſponſalia. Prob. ex *Athb. c. Deſponſatas c. de conjugali, 27. q. 2. & c. 2. & c. Ex litteris, el 2. & c. Requiſivit, de ſponſ.* quibus in locis ſupponitur ſponſalia ad ſui implementum obligare: & cum res ſit gravis, maximaque inferatur injuria alteri, ſi non impleantur, neceſſario dicendum eſt, obligationem hanc eſſe ſub mortali. Item, quia omnis contractus obligat ex juſtitia, ſed hic eſt contractus, Facio ut Facias; eſt enim mutua, & reciproca obligatio, ergo obligat ex juſtitia, & ſub mortali, unde *l. 1. de ſponſ.* in contrarium adducta, eſt per canones correcta. Hanc ſent. tenent ex Theologis *D. Th. 4. d. 27. q. 2. art. 1. ad 2. Palud. ibi q. 1. a. 2. poſt 3. concl. nu. 14. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 18. fin. & §. 1. Cajet. ſumma. verb. Sponſalia Sot. 4. diſt. 7. q. 2. a. 5. verſ. Reliqui, Petr. de Soto lect. 18. de matr. §. Quoad primum, Veracruz 1. p. ſpecul. a. 16. initio, Viguer. l. inſtit. c. 16 §. 7. verſ. Septimo Corduba in q. l. 1. q. 13. init. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 2. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 43. a. 1. dub. 3. P. Molin. t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 271. f. 113. ad finem, Manuel. 1. t. ſum. in 2. edit. c. 244. n. 1. Vivald. candel. 1. de ſponſ. c. 4. n. 23. Lud. Lop. inſtr. 2. p. de matr. c. 39. f. 1061. col. 1. Beja ſum. caſu 18. Bart. a Ledeſm. de matr. dub. 8. f. 1229. Vega t. 6. ſum. caſu 105.* Et ex Juriſperitis *Abb. c. Ex litteris, el 2. de ſponſ. n. 3. Felin. c. 1. de pactis, decl. 6. Turrec. c. Ubi non eſt, 30. q. 2. a. 6. n. 7. Ang. verb. Sponſalia n. 21.* ubi *Silv. q. 4. dict. 1. & q. 10. d. 3. Tab. ibi q. 6. n. 7. Armilla n. 7. Brunel. de ſponſ. concl. 16. n. 9. Covar. 4. decret. 1. p. c. 4. initio n. 2. Sarmiento l. 1. ſelect. c. 5. n. 3. Alex. Carrerius l. 1. de ſponſ. c. 11.* habetur tom. 9. tract. *Ant. Cucus l. 5. inſt. major. t. 10. n. 21. Perez l. 5. ordin. tit. 1. l. 1. f. 39. verſ. Contrarium tamen Anaſtaſ. Germonius l. 3. de ſacrorum immunitatib. c. 21. nu. 86. 87. Gutier. de juram. 1. p. c. 51. n. 5. Matienzo l. 5. recop. rubr. gl. 1. n. 43. Azebedo eod. lib. tit. 1. l. 1. n. 15. Imola l. Titia, in principio num. 8. ff. de verb. oblig.*

DISPUTATIO XXVIII.

Quando teneatur implere, qui contraxit ſponſalia, nullo præfixo termino?

SUMMARIUM.

Prima opinio, teneri ſtatim, num. 1.
2. Verior, cum diſtinctione, num. 2. & ibi quando debitor nullo termino fixo, teneatur ſolvere.
Solvuntur argum. & explicatur reg. In omnibus obligationibus ff. de reg. jur. & l. Eum qui §. Quoties ff. de verb. oblig. n. 3.

1 VIdetur hunc promittentem teneri ſtatim debita commoda opportunitate implere: ex *l. In omnib. oblig. ff. de reg. jur.* ubi habetur in omnibus obligationibus abſque termino præfixo contractis, præſenti die deberi: & ex *l. Eum qui §. Quoties ff. de verb. oblig.* ubi quod ſine termino præfixo debetur, ſtatim debetur. Item, quia communis ſent. habet emittentem votum nullo præfixo termino, teneri ſtatim, ubi commode potuerit, implere: quod maxime in religionis voto verum habet: cujus rationem reddunt *Palud. 4. d. 38. q. 3. a. concl. 2. fin. D. Ant. 2. p. t. 11. c. 2. §. 1. Silv. Votum 2. q. 5. Suar. 1. t. de ſacram. q. 71. a. 4. diſp. 31. ſect. 2. f. 446. col. 2.* quia per hoc votum dedicat vovens totum vitæ ſuæ tempus Deo, & ita tenetur ſtatim implere, ne Deum eo tempore, quo votum differt, defraudet. Qua ratione utuntur etiam *Palud. D. Ant. & Silv.* ad probandum non ſatisfacere obligationi promittentem feminæ matrim. ſi ante mortem contrahat: quia promiſit toto vitæ ſpatio cum ea convivere, ergo eſt in mora, ſi ſtatim habita opportunitate non impleat, eo quod defraudat ſponſam eo tempore. Sicut tenet, *Bart. a Ledeſ. de matrim. dub. 13. initio.*

Ceterum dicendum eſt, ſi dies appoſita minime ſit obligationi, nec alia conditio, non teneri promiſſorem ſtatim implere: ſed tantum requirente eo, cui promiſſio facta eſt, tunc vero cum alter petit, teneri contrahere, ſi commode poteſt. Ratio eſt, quia id generale eſt in omni debito, abſque diei præfixione, ſolum enim tenetur debitor a creditore requiſitus ſolvere, ut conſtat ex *l. Debitores præſentes, C. de pignoribus*, ut id docet *gl. verb. Conveniendi, Hoſten* quem refert, ac ſequitur, *Abb. c. fin. n. 19. de præſcript. & c. Licet Heli, de ſimonia, n. 13. Pal. 4. d. 38. q. 3. a. 2. n. 14. Angel. verb. Mora n. 1. D. Ant. 2. p. t. 11. c. 2. §. 1. Silv. Votum 2. q. 3. fi. & verb. Mora q. 1.* ubi *Tab. n. 1. Armill. num. 1. Meti C. de reſt. q. 2. §. Ad aliud quod quarto Nav. ſum. c. 17. n. 98. Manuel. 2. t. ſum. c. 43 n. 4.* Quod pro foro conſcientiæ intelligendum eſt, niſi creditor petere non audeat etiam ex timore reverentiali, tunc enim quamvis creditor non petat, conſtituitur in mora promiſſor: ut bene *Angl. Silv. Tab. Navar. Manuel. ibid.* qui bene addit idem eſſe dicendum, quando ex oblivione creditor non petit, & ratio hujus doctrinæ eſt, quia ex quo creditor debitum novit, & potens commode petere, debitum minime petit, videtur conſentire dilationi. Sic ergo in ſponſalibus abſque termino contractis, dicendum eſt, quod ſi conſcius alter ſponſus, minimeque oblitus, & potens commode petere, non petat ea impleri, tutus eſt promiſſor: ſi vero alter petat impleri, vel ſi minime petat, id eveniat ex oblivione, aut quia non audet, non eſt tutus promiſſor, ſed tenetur ſtatim habita commoda opportunitate implere: quod maxime pro feminis advertendum eſt, licet enim maxime cupiant ſponſalia perfici, ſæpe non audent petere, vel non inſtar ob ſponſorum timorem, vel ne tædio affecti deſiſtant: unde ſponſi tuti non erunt, quia ea dilatio non eſt voluntaria. 2

Ad 1. arg. deſumptum ex duabus illis legibus, dico eas intelligi, quando creditor debiti conſcius illud petit, vel ſi non petat, invitus ob timorem id faciat. Ad 2. diſpar eſt ratio, quia in voto creditor, qui eſt Deus, ſemper petit, nec ratio adducta obſtat, quia dum alter ſponſus poteſt petere, & non petit, videtur libere dilationi conſentire, quare nulla ſibi irrogatur injuria. 3

DISPUTATIO XXIX.

Utrum cogendus ſit per Judicem ſponſalium fidem ſervare, qui citra legitimam cauſam ea implere recuſat?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi ob duos textus, qui ſecum pugnare videntur, n. 1.
Prima ſententia, non eſſe cogendum, 2.
2. Sententia diſtinguit, 3.
3. Verior, eſſe cogendum, niſi ſcandala timeantur, & conciliantur c. Requiſivit, & c. Ex litteris, el 2. de ſponſalibus, n. 4.
Quando eſt juramentum, eſt ſtudioſius cogendus, 5.
An oporteat ſcandala probari, 6.
Non debet judex ſtrictiſſime cogere, 7.
Quando latis cenſuris fuerit ſponſus nimis pertinax, eſt abſolvendus, 8.
Uterque judex poteſt ad ſponſalia cogere num. 9. & explicatur l. 7. tit. 1. p. 4.
Solvuntur argumenta, 10.

RAtionem dubitandi nobis offerunt duo textus, qui ſecum pugnare videntur: alter eſt, *Ex litteris, el 2. de ſponſal.* ubi decidi videtur cogendum eſſe; ibi, *quia contra juramentum venire periculoſum eſt; mandamus, ut eum moneas, & ſi monitis non acquieverit, cenſura compellas, ut in uxorem recipiat.* Alter eſt, *c. Requiſivit, eod. t.* ubi oppoſitum ſanciri videtur ibi: *cum libera eſſe debeant matrimonia, monenda eſt potius, quam cogenda: cum coactiones difficiles ſoleant exitus habere.* Cui conſonat *c. 2. eod. tit.* ibi: *commonendi ſunt, & omnibus modis inducendi.* 1

Triplex eſt ſent. I. ait non eſſe cogendum, ſed ſi monitis non acquieverit, relinquendum eſſe. Prob. ex *c. Requiſivit, de ſponſ.* ubi potius monendum, quam cogendum eſſe deciditur, 2. quia cum excommunicationis metus cadat in virum conſtantem, coactus excommunicatione contrahens matr. invitus, & invalide contrahit. Hanc videtur tenere *D. Th. 4. d. 27. q. 2. a. 1. ad 2.* ubi tanquam certum relinquit non eſſe cogendum, ubi deeſt juramentum, ubi autem illud adeſt, refert duas ſent. & in ultimo loco dicentem non eſſe cogendum: quare illam videtur amplecti. Et illam tenent *Ang. verb. Sponſalia n. 42.* ubi *Armil. nu. 7. Anaſt. Germonius de ſacror. immunit. l. 3. c. 21. n. 86. Angles floribus 1. p. q. de eſſentialib. matr. a. 4 diffic. 4. Segura director. judic. 2. p. c. 15. n. 4. & ſeq. Manuel. 1. t. ſum in 2. edit. c. 244. n. 1.* ubi limitat, niſi ſequatur infamia: & explicant *Armilla, & Angles*, hanc ſent. eſſe veram, quamvis ſponſalia juramento ſtabilita ſint. 2

II. Sent. ait tantum cogendum eſſe, quando ſponſalia juramento confirmavit. Prob. ex *c. Ex litteris el 2. de ſponſal.* u[illegible] rationem coactionis textus reddens, ait ſic, *quia contra juramentum venire periculoſum eſt.* Sic docent ex Juriſperitis, *gl. c. De illis, l. 1. de ſponſ. impub. verb. Judicio, & c. 2. verb. Inducendi de ſponſ.* ubi *Præpoſ.* 3